THE
WILLIAM R. PERKINS
LIBRARY

OF

DUKE UNIVERSITY

Rare Books

Q. B. V.

MAGISTRATUS CIVILIS

Auctoritatem atque Poteſtatem non niſi à DEO dependere,

Ex Divino S. Scripturæ Codice, & hujus atq; ſuperiorum temporum Hiſtoria, cumprimis Gallica,

Diſputatione publica ac ſolemni,

ſub tutela & Præſidio

Maxime Reverendi, atque de re Sacra in univerſum meritiſſimi Viri

DOMINI

BALTASARIS BEBELII,

In Illuſtri hac Argentor. Academia Doctoris atq; Profeſſoris Theologi, ſcriptis meritisque excellentiſſimi,

PATRONI AC PRÆCEPTORIS SUI,

nunquam non devotiſſimè venerandi,

Die 1. Decembr. Anno CIↃ IↃC LXXXIII. in majori Auditorio habenda, oſtendere conabitur ejus

AUCTOR

MARTINUS DIFENBACH Mœno-Francofurtanus.

ARGENTORATI,

TYPIS JOHANNIS WELPERI.

ILLVSTRIS ATQVE AVGVSTÆ
SACRI R. IMP. LIBERÆ REIPVBLICÆ
FRANCOFORDIENSIS
AD MOENVM
INCLUTO
MAGISTRATVI,
Nominatim
DOMINIS
PRÆTORI,
CONSULIBUS,
SCABINIS,
SYNDICIS, *atq;*
SENATORIBUS,
VIRIS
Generoſa Stirpium Proſapia, Conſiliorum gravitate atque dexteritate, dignitatis item ac meritorum in patriam magnitudine
EMINENTISSIMIS,
Dominis ſuis ac Mecœnatibus Summis,
piiſſimo obſequio Exercitium hoc conſecrat, &, quæ antiqua votorum formula eſt, libens meritò
donat atque dedicat
Eorum ex religioſa ſubditorum lege humilimus
MARTINVS DIFENBACH.

AMPLISSIMI PATRIAE PATRES,

TAndem pietas ſilentium rumpit, & quod dudum debui, atque ſeriò etiam in votis hactenus habui, illa nunc exſolvit. Ex quo enim vitæ academicæ rationes ingreſſus ſum, ſubinde cogitare cœpi, quemadmodum pietatis negocium conficerem, & more inſtitutoque noſtratium ſanctiſſimo ſtudiorum Vobis fructum offerrem. Eo conſilio nobiliſſimum doctrinæ caput de ſuprema Imperantium

 poteſta-

poteſtate ſelegi, in quo elaborarem, & ex diviniori Scripturæ codice, ſuperiorumque temporum actis atque jucundiſſimis antiquitatibus, originem ejus perſcrutarer. Etſi verò neque eruditionis copia, neque ingenii ſubtilitate, expectationi Veſtræ ullo modo me ſatisfacturum eſſe affirmare audeam, tamen futurum confido, ut Civis Clientisque Veſtri ſubjectiſſimi ſtudium duntaxat conatusque Vobis probetur, qui ſciam, obſequia quoque à Vobis æſtimari. Dignamini igitur, PATRONI, ſpecimen hoc meum tenue ea, qua ſoletis, benevolentia accipere, meque immortalis gloriæ Veſtræ veneratorem, ac pro ſalute Veſtra, Veſtrarumque Familiarum æternitate perpetuum devotumque deprecatorem eſſe porro patimini, qui nemini mortalium unquam in ea obſequii gloria concedam; Quod quin facturi ſitis, DOMINI, uti nullus dubito, neque etiam ſumma Veſtra Civibusq; noſtris ſat multumque probata bonitas dubitare me permittit, ita vel ſola, ut faciatis, argumenti quod offero, Vos hortabitur dignitas. Valete, ſcribebam Argentorati die 27. Novembr. Anno CIƆ IƆC LXXXIII.

Salutem

Salutem benevolo Lectori.

QUemadmodum, cum pugna Pragenſis eſſet pugnata, & victoria in partes Cæſarianorum conceſſiſſet, curioſiores obſervabant, id eo ipſo tempore contigiſſe, quo in Eccleſia DEI explicabantur verba Chriſti Matth. XXII. 21. *Date Cæſari quæ ſunt Cæſaris, & DEO quæ ſunt* DEI; Ita nos hoc quoq; tempore nobis in memoriam ea ipſa verba revocamus, & cum verbis iſtis verba noſtrorum confeſſorum etiam Auguſtanorũ, quibus *de rebus civilibus docent, quod legitimæ ordinationes civiles ſint bona opera* DEI, *quod Chriſtianis liceat gerere Magiſtratus, exercere judicia, judicare res ex imperatoriis & aliis præſentibus legibus, ſupplicia jure conſtituere, jure bellare, militare, leges contrahere, tenere proprium, jusjurandum poſtulantibus Magiſtratibus dare, ducere uxorem, nubere,* Et contra Anabaptiſtas adjungunt, quod E*vangelica perfectio non diſſipet politiam, aut œconomiam, ſed maxime poſtulet conſervare tanquam ordinationes* DEI, *& in talibus ordinationibus exercere charitatem. Itaque* (addunt) *neceſſario debent Chriſtiani obedire Magiſtratibus ſuis & legibus, niſi cum jubent peccare; Tunc enim magis debent obedire Deo, quam hominibus.* Act. V. Hæc illi Art. XVI. A.C. Quam confeſſionem Cenſores *ſine ulla exceptione receperunt,* quod refert Apologia; Et hodie quoque meliores ipſorum approbant, ut viſum eſt nuper in declaratione Cleri Gallicani, ab ipſo Chriſtianiſſimo Rege diplomate confirmata; Anno 1682. m. Martio, ejusdemque propoſitione prima. Cujus ſententiæ etiam ideo hoc tempore meminimus, quod Præcellens atque Clariſſimus Dn. *Martinus* Dieffenbach / Mœno-Francofurtanus, S. Theologiæ Studioſiſſimus, Fautor, & Amicus noſter plurimum dilectus & colendus, verſetur in ea ipſa materia, & nobis obtulerit Exercitium aliquod Academicum, in ſolenni Auditorio habendum. Agit enim de *ſummi Magiſtratus auctoritate*, ut ea ab hominibus originem non habeat, ſed ex DEO, cujus ille vices in terris ſuſtinet & adminiſtrat, concedatur.

Degit ille olim in Celeberrima Saxonum Univerſitate, Wittebergæ, & uſus eſt Venerandi Dn. D. *Abrahami Calovii*, noſtri quoque olim præceptoris maximopere colendi, non tantum convictu, ſed etiam inſtructiſſima Bibliotheca, ex qua ſeſe multum profeciſſe

merito agnoſcit, & ultro profitetur. Et, ne ſuis ipſe Muſis canere videretur, etiam in publico comparuit, & bis diſputatoris locum occupavit; ſemel ſub Celeberrimo Hiſtoriarum Profeſſore Dn. Schurtzfleiſch/ ſub cujus præſidio Anno 1679. habuit diſputationem *de primi Chriſtianorum Imperatoris Conſtantini M. antiquitatibus*; Iterum ſub auſpiciis famigeratiſſimi Dn. *Stolbergij*, Græcæ linguæ Profeſſoris, ſub quo Diſſertationem Academicam propoſuit ad locum Apoc. I 4.5.6. ut N.T. à *Solœciſmis* liberaret, Anno 1681. menſe Julii. Cum Excellentiſſimorum horum Virorum favorem his artibus ſibi comparaſſet, & ſingulare æſtimium ſui laudemque eorum reportaſſet, inde diſceſſit, & in noſtram quoque Univerſitatem pervenit. In qua vero cœptam ſuâ Witebergæ diligentiam egregiè continuavit; Nam colloquiis eruditorum Virorum avide operam dedit, Bibliothecas luſtravit, Collegia etiam privata frequens adiit, in iisque qua audiendo, qua annotando, qua alia faciendo, munus egregii Studioſi præclare explevit. Tandem cum etiam in publico comparere, & ſpecimen ſuorum profectuum proponere, ſuisque Patronis de meliore nota ſeſe commendare vellet; elegit ipſe, & elaboravit hanc de Magiſtratus Politici poteſtate materiam, collegitque ex variis, etiam Gallicanis ſcriptis, (ut linguæ iſtius nonnihil gnarus eſt,) quæ ad hanc ſententiam ſpectare videbantur; Cenſuræ laborem ſuum ſubjecit, & impetrata diſputandi venia noſtrũ ſententiæ iſtius ſuæ & quidẽ ſectionis primæ, (quandoquidem II. & III. anguſtiæ chartarum non capiebant,) præſidium honorifice imploravit; quod etiam ipſi denegare noluimus, præſertim in hac materia, quæ ſeſe nemini non cordato ultro commendat. Mœcenates & Patroni ſtudiorum obſervent, quæſumus, ingenium hoc, & ſuo ipſum favore dignentur, proſequanturque: Nulli enim dubitamus, quin inſignis aliquando fructus in publicum ex eo redundaturus ſit! Valete. Scribebam Argentorati die 27. Novembris, Anno M. DC. LXXXIII.

Baltaſar Bebelius. S. Th. D. & PP.

PRÆ-

PRÆFATIO.

ATrociſſima maximaque inter complures, quibus primis Chriſtianiſmi temporibus, ii, qui Chriſto nomen dederant, præter meritum obnoxii fuerant calumnias, ea fuit, qua ſupremæ Magiſtratûs auctoritatis oſores ac contemtores, omniumque tumultuum ac incendiorum auctores & ſuaſores eſſe falsò paſſim traducebantur: Ingentes de ea querelas paſſim apud Veteres legas, maximè eos, qui occaſionem inde Apologeticos pro Chriſtianis ſcribendi ſumſerunt, quos inter cumprimis excellunt, *Quadrati* & *Ariſtidis* Apologetici Imper. Hadriano exhibiti, *Sereni Grannii* literæ pro Chriſtianis, *Juſtini Martyris* utraque Apologia pro Chriſtianis ad Antoninos Imperatores, *Tertulliani* Apologeticus adverſus gentes, *Athenagoræ* Oratio pro Chriſtianis, *Melitonis Sardiani* Apologia ad Aurelium Imper., *Apollinarii Hierapolitani*, itemque *Bardeſanis*, nec non *Miltiadis* Apologiæ, *Minucii Felicis* Dialogus quem Octavium inſcripſit, *Origenis* libri adverſus Celſum, *Arnobii* adverſus gentes, *Cypriani* liber ad Demetrianum, *Auguſtini* de Civitate DEI, *Oroſii* ſeptem hiſtoriarum libri, *Prudentii* duo libri contra Symmachum, & id genus alia in rei Chriſtianæ defenſionem exarata ſcripta, quæ vel perierunt partim, partim etiamnum cum fructu ad honorem innocentiamque Chriſtiani nominis leguntur. *Chriſtianum hominem omnium ſcelerum reum, Deorum, Imperatorum, legum, morum, naturæ totius inimicum putant*, ſcribit *Tertullianus* in ſuo Apolog. cap. 2. fol. 15. *ſacrilegii & Majeſtatis rei convenimur*, idem refert in eod. cap. 10. fol. 31. *ſumma hæc cauſa imò tota eſt.* Et in libello ad Scapulam, cap. 2. fol. 88. *Circa Majeſtatem Imperatoris infamamur,*

mur, tamen nunquam Albiniani, nec Nigriani, vel Caſſiani, (ſab Avidio Caſſio, Peſcennio Nigro, ac Clodio Albino ſic dicti, qui adverſus Severum Imp. rebelles extiterant, quorum hiſtotiam Dio, Vulcatius Gallicanus, Ælius Spartianus, & Julius Capitolinus ſcriſerunt) *inveniri potuerunt.* Eadem de Caſſiis, Nigris & Albinis habet in Apolog. c. 35. fol. 63. ut mirer Doctiſſimum *Gronovium* in notis ſuis ad Grotii librum de Jure B. & Pacis, p. m. 51. a. ex nimio forte terga Monarchomachorū placita amore, eorum cauſam agere velle, quum vix veroſimile videatur, Tertullianum ad gentes ſcribentem, ex re dubia argumentum pro cauſæ ſuæ bonitate deſumturum fuiſſe. *Publici hoſtes Chriſtiani, quia Imperatoribus neque vanos, neque mentientes, neque temerarios honores dicunt, quia veræ religionis homines etiam ſolennia eorum conſcientia potius quam laſcivia celebrant.* apud eundem in Apolog. cap. 35. fol. 62. quibus ſimul quid calumniæ originem anſamve dederit, indicatur, quod latius exponitur à Meldenſi Epiſcopo *Jacobo Benigno Boſſueto*, dans ſon diſcours ſur l'hiſtoire Univerſelle Tom II. §. 12. p. 127. ſeqq. & à Dn. D. *Præſide* in Antiquit. Eccleſ. Secul. I. pag. 148. & Secul. III. pag. 885. & 886. Quam inique etiam *Cyprianus auctor iniqui nominis & ſignifer nefariæ conſpirationis* à Galerio Maximo Proconſule Romano nominatus fuerit, *Pontius*, ſpectator & Comes martyrii Cypriani in Actis paſſionis Cypriani, (ſi modò omnia, quæ in actis illis habentur, Pontium auctorem agnoſcunt, quo de dubius eſt *Baronius* Tom. II. Annal. ad ann. 260. num. 42. pag. 687. edit. Mogunt.) obſervavit. Notum porrò eſt ex iis, quæ rerum in Eccleſia geſtarum hiſtoriæ debemus, quò impietatis Neronem monſtro quam homini ſimiliorem Imperatorem, furor ejus abripuerit, quando Gentium Dominam Romam incendio conſumere, ſcelerisque hujus invidiam in Chriſtianos derivare conabatur. Vid. *Tacitum* Annal. lib. XV. p. m. 278. edit. Plantin. & adde *Baronium* Tom. I. Annal. ad ann. 66. pag. 719. ſeqq. Adeo verò inviſi hinc paganis redditi

Egregiè hinc, cur ſanctiſſimus Martyr Polycarpus aſino impoſitus adque leonum rugitus ac ignis flammas ducendus, ab Herode Smyrnenſium Irenarcha vehiculo exceptus ductusque in urbem Smyrnam fuerit, interpretari poſſumus, apud Euſeb. *Hiſtor. Eccl.* lib. 4. c. 15. p. 131. *Irenarchæ videlicet munus erat, ſeditioſos homines, & pacis publicæ turbatores comprehendere, & ad judicum tribunalia*

nalia perducere, ut Auguſtinus *Epiſt. 140. & 150. docet. vid.* Valeſii *annotat. in citatum* Euſebii locum p. 71. a.

fuere Chriſtiani, ut vel eorum nomen ſufficientem accuſatorum criminum probationem judicârint. *Bonus Vir*, querela eſt paganorum apud *Tertull.* Apolog. cap. 3. fol. 16. *Cajus Sejus, ſed malus tantùm quod Chriſtianus. Aſt accusâſſe ſi ſufficit, quis innocens erit?* paganis reſpondeat ipſe paganus *Ammianus Marcellinus* lib. XVIII. Ipſa certè Chriſtianorum facta moresque ad Magiſtri ſui, injuſtæ quam patiebatur vi nequaquam reſiſtentis, exemplum compoſiti, calumniam hanc ſat ſuperque refutârunt, ut tamen ceſſaret nunquam impetrarunt: *Pronis* enim *auribus calumnia excipitur, laudi rara eſt fides*, egregium *Grammondi* dictum eſt in Hiſtor. Gall. lib. 2. p. 171. Solatio interim eſſe ipſis poterat, quod ex ſacro Codice noſſent, piis Vet. Teſt. Prophetis eandem planè dicam ſeculi hujus filios perpetuò ſcripſiſſe, exemplo *Davidis* 1. Sam. XVIII, 8. XX, 31. XXII, 13. *Eliæ* 1. Reg. XVIII, 17. *Jeremiæ* in diviniori ſuo vaticinio, c. XXXVII, 13. & c. XXXVIII, 4. *Chriſti* maximè Servatoris noſtri, qui idem fatum non tantùm in vita, ſed & cumprimis tempore mortis ſuæ, Luc. XXIII, 2. Johan. XIX, 12. expertus eſt, idemque experturos diſcipulos ſuos eſſe longè ante iis prædixit, Matth. X, 24. Joh. XV. 20. Merentur hîc legi, quæ *Magnus noſter Lutherus* in explicatione capitis XVIII. Johannis, hac de re diſſerit, Tom. Altenb. IV. pag. 667. b. ubi in ſpecie *Lutherana*, & pag. 682 b. ubi in genere *totiùs* Wer unter dem Evangelio ſeyn will / inquit citata pagina, und das Creutz Chriſti tragen / der muß ſich erwegen / daß er ein Auffrührer geſcholten werde. Er muß ſich auch nicht ärgeren / daß man das Evangelium auffrühriſch ſchilt / dann die Paſſion gibt Chriſto diß Urtheil / daß Er als ein Auffrührer ſterben muß / und die Heil. Schrifft gibt dem Evangelio dieſen Nahmen / daß es ein auffrühriſche Lehr von der Welt genennet werde. *Chriſti Eccleſiæ*, idem fatum eſſe, atque initio ſtatim fuiſſe, oſtendit. Miretur autem jure quis, calumniam illam de Chriſto non in Judæa tantùm permanſiſſe, ſed & Romam inde volâſſe, ubi *Suetonius* in vita Claudii lib. V. p. m. 519. non veritus eſt ſcribere, *Judæos impulſore Chreſto tumultus edidiſſe*, intelligens per Judæos Chriſtianos, qui tum ſub Judæorum appellatione apud Ethnicos harum rerum parum conſultos paſſim veniebant; quod pluri-

 bus

bus exemplis confirmant *Kortholtus* de Perſecut. Eccleſ. procœm. num 3. ſect. 2. & ſect. V, 33. atque *Huetius* in Demonſtr. Evang. p. m. 58. & 62. Chreſti verò nomine Chriſtus ſalutis noſtræ Dux & Reſtitutor pro temporum illorum more intelligebatur. Vid. eosdem auctores, illum de Calumn. Pagan. p. 188. hunc in citata Demonſtr. p. 61. *Paulo* etiam Apoſtolo calumniam illam non pepercisſe ex Actuum Apoſtolicorum hiſtoria conſtat. Vid. Actor. XVI, 20. XVII, 7. XXIV, 5. 12. XXV, 8. Unde is exhortatur 2. Cor. VI, 4. ſeqq. *In omnibus ſiſtamus nos ut DEI ſervos, in verbo veritatis ac virtute DEI*, διὰ δόξης ϗ ἀτιμίας, διὰ δυσφημίας ϗ εὐφημίας, ὡς πλάνοι καὶ ἀληθεῖς *&c.* Adde *Lutherum* Tom. VI Opp. Altenb. p. 790 a. Neque ceſſavit convitium hoc, utut Chriſtianorum hoſtes ſub IV. ſeculi initium regimen imperiumq; cedere illis coacti fuerint, Conſtantino M. *primo* Chriſtianorum Imperatore, (ita *Euſebius* expreſsè de Vita

Titulum honoremq́; hunc alii Philippo Arabi Anteceſſoris ſui Gordiani Parricidæ tribuunt, quo de diſputantes invicem vid. Dorſcheū *&* Wetſtenium, *negantem id alterum, alterum affirmantem, illum in Tunica Chriſti inconſutili* cap. 1. §. *66.* ſeqq. *hunc in Epiſtola Origenis ad Africanum, Auctoribus* Iě *Journal des ſçavans A. 1675. impensè laudata* p. 102.

Conſtant. lib. 4. cap. 74. adde Valeſium in notis p. 255. b.) circa annum Chriſti CCCXII. ad Chriſtianæ Religionis cultum diſciplinamque animum advertente. Nam & *Athanaſii* patientiam illud exercuiſſe, ejus Apologia Tomo ejus Operum primo exſtans, tum & *Sozomenus* in Hiſtoria Eccleſ. lib. 2. c. 21. ſeqq. & ex recentioribus *Maimburgius* Hiſtoire de l'Arianiſme Tom. I. lib. 2. p. m. 98, 105. ſeqq. 122, 135, 156, ſeqq. manifeſtum faciunt. Prolixo mihi cum in præfatione eſſe non liceat, quæ *Hilario*, *Baſilio*, *Chryſoſtomo*, *Ambroſio*, aliisque ſimilem in modum acciderint, commemorare nolo. Neque etiam *Waldenſium* nunc Patronus adverſus eorum calumniatores ero, quod eorum innocentiam hac in parte Doctoris *Dannhaueri* piæ beatæque recorda-tionis Diſſertatio de Waldenſium Eccleſia Sect. I. Artic. III, §. 29. & Sect. III, §. 12. & 18. itemque Artic. IV. §. 10. ſatis jam vindicarit. Mirum hinc haud eſſe poterit, neque *Lutherum noſtrum* ejusque ſequaces calumniæ illius aculeos declinare potuiſſe, quo de conquerentem ipſum audi ex præfatione ejus in Articulos Smalcaldi-

caldicos pag. m. 300. *Fuit Wittenbergæ Doctor quidam ex Galliis miſſus, qui nobis palam indicabat, Regi ſuo certò certius perſuaſum eſſe, apud nos nullam eſſe Eccleſiam, nullum magiſtratum, nullum conjugium, ſed promiſcuè omnes pecudum more vivere pro arbitrio. Dic jam, quo vultu nos coram tribunali Chriſti in ultimo Judicio ſint aſpecturi ii, qui tam craſſa & prodigioſa mendacia Regi & aliis regnis per ſua ſcripta inculcârunt ceu veritatem.* Eandem querelam ſummo cum animi mœrore paſſim in ſcriptis ſuis repetit, egregieque calumniam illam refutat Tom. I. Altenb. pag. 559. b. Tom. II. p. 81. b. Tom. III. p. 111. b. 115. a. Tom. IV. p. 667. b. 683. a. Tom. V. p. 530. b. ſeqq. & 1143. b. Tom. VI, p. 791. a. &c. In ſimili materia vide epiſtolam Auguſtæ A. 1530. ſcriptam Tom. V. Luther. Altenb. p. 27. b. quomodo Hiſpaniæ Cancellarius Alphonſus amice cum Melanchthone collocutus, eidem ſignificârit, *perſuaſos eſſe Hiſpanos, Lutheranos in DEUM & S. S. Trinitatem non credere, Chriſtum mundi Salvatorem, & B. Mariam nihili facere, ita ut non dubitent, ſi hominem Lutheranum occidant, majorem ſe DEO cultum præſtare, quam ſi Turcam è medio tollant*, ſicut & non dubitavit *Reginaldus Polus* Cardinalis, & niſi de Lutheraniſmo ſuſpectus fuiſſet à quibusdam redditus, Pontifex ſummus poſt Pauli III. mortem, (vid. *Maimbourg* Hiſtoire du Luther Tom. II. lib. 5. p. 123.) ſcribere, Defenſ. pro Unit. Eccleſ. lib. 3. fol. 78. *Si Romanus Imperator Conſtantinopoli imminens victoriam in manibus haberet, ſe tamen ipſum revocaturum atque auctorem ipſi futurum, ut Turcicum ſemen in Germania exortum prius evelleret*, quam mentē & *Adriano VI. Pontifici* fuiſſe, literæ ejus ad Proceres Imperii Romani *Anno 1522.* Norimbergæ congregatos datæ docent, habentur ex *Tom. II. Luther. Altenb. p. m. 228. b.* Eadem *de Georgio Saxoniæ Duce vide Tom. VI. Altenb. p. 32. a.* Eadem accuſatione *Luthero* noſtro moleſtus eſt qui nuper admodum in Galliis Lutheranismi hiſtoriam ſcripſit *Ludovicus Maimburgius*, quondam Jeſuita nunc v. Pariſiis S. Victoris Abbas, vid. ipſius Hiſtoire du Lutheraniſme, Tom. I. lib. 1. p. 71. & lib. 2. p. 110. & 119. itemq; lib. 3. p. 205. & 213. quo de in ipſa Diſputatione quædam dicentur. Spectant huc etiam literæ A. 1531. menſe Febr. ad Reges atque Principes exaratæ, in quibus Principes ut

 voca-

vocabantur Proteſtantes,ſe ſuarumq; Eccleſiarum ſacerdotes variis adverſariorũ calumniis onerari conqueruntur, quas inter familiam ducat, quod Magiſtratum damnare, legumq; omnium dignitatem enervare accuſentur. Ad quas literas Galliæ Regem Franciſcum benignè reſpondiſſe, gratiasq; Principibus & Civitatibus de communicato ſibi tanti ponderis negocio egiſſe, oſtendiſſeque gratam admodum ſibi eſſe criminationum objectarum purgationem, probâſſe etiam ipſorum de vitiis emendandis poſtulationem, atque eadem ſe cum ipſis eſſe voluntate, dixiſſe *Petrus Suavis Polanus* refert,in Hiſtor. Concil. Trid. lib.1. p.63. & 64. Non mitius de Lutheri doctrina ſenſit Carolus V. in edicto,quod adverſus eum Wormatiæ 1521. publicavit, quodque apud *Lutherum* Tom.I. Altenb. pag. 736. ſeqq. & Tom.II. p. 763. Itemq; D. *Calovium* in Hiſtoria Syncretiſtica p.90. habetur, ubi verò vide egregiam Lutheri defenſionem Tom.V.p.545. ſeqq. & adde ſcriptum ejus contra Dreſdenſem, p. 559. ſeqq. Hæcque calumnia cumprimis cauſa fuit confectionis noſtrarum Eccleſiarum Confeſſionis Anno 1530. Auguſtæ Vindelicûm Carolo V. oblatæ, ſicut & in fine Articuli XXI. & in reliquorum principio adjectum eſt: *Nec habeat fidem Cæſarea Majeſtas iis,qui, ut inflamment odia hominum adverſus noſtros, miras calumnias ſpargunt in populum.* Vid. Venerandum canitie Senem Dn. D. *Abrahamum Calovium*, in Exegem. Auguſt. Confeſſ. proleg. cap 3. §. 2. Semina autem calumniæ illius fuere, partim mentiendi libido odiumque erga veritatis confeſſores, partim verò minus rectè intellecta noſtratium de ſpirituali libertate,deque Principum ſummitate neque Papæ neque Clero ſubjicienda doctrina; forte nec pauca illi doctrinæ accepta ferenda ſunt, qua impiè admodum diſputatur, *probabile eſſe non peccare mortaliter*, *qui imponit falſum crimen alicui*, *ut ſuam juſtitiam & honorem defendat.* Quo dē epiſtola legi poteſt inter literas provinciales *Ludovici Montaltii*, quinta atque decima p. m. 421. ſeqq. & adde notas Wendrockii p 438. Quod dogma meritò hodiernus Pontifex Innocentius XI. 1679. d.IV. Martii excommunicationis fulmine feriit. Æque,ſi non magis ferienda deteſtandaque verba ſunt *Adami Conzenii*, libr. 9. Polit. c. 17. p. 666. *Omnium diſcordiarum, odiorum, bellorum civilium, rebellionis in Imper. Romano, cauſas eſſe prædicantes Lutheraa-*

theranos & Calvinianos quocunque nomine appellentur. Quibus paria habet *Erbermannus* Jeſuita in Irenic. Cathol. cap. 12. p. 178. *Scilicet*, verba ſunt noſtri *Dannhaueri* in Præfat. Hodomor. Pap. *Conſtat multis fidem Lutheranam ſic deſcriptam ac depictam eſſe, ut Eccleſiam Lutheranam Synagogam Diaboli eſſe putent.* Perinde uti veteribus Chriſtianis terræmotuum, ſterilitatis, malorumque ſimilium cauſæ imputabantur, talesque paſſim de iis ſermones habebantur, quaſi ob ſuperſtitionem & ſectam tertium genus hominum, & inter Græcos Barbarosque neutri eſſent, quo de egregius planeque incomparabilis locus apud *Tertullianum* in Apolog. eſt, cap. 40. fol. 69. edit. Franeker. *Illis nomen factionis accommodandum eſt, qui in odium bonorum & proborum conſpirant, qui adverſus ſanguinem innocentium conclamant, prætexentes ſanè ad odij defenſionem illam quoque vanitatem, quod exiſtiment omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Chriſtianos eſſe cauſam, ſi Tyberis aſcendit in mœnia, ſi Nilus non aſcendit in arva, ſi Cœlum ſtetit, ſi Terra movit, ſi fames, ſi lues, ſtatim Chriſtianos ad Leonem.* Et quoniam theſes quædam de ſententia Patronorum, quorum & nutus legis loco apud me veniunt, conſcribendæ erant & ad diſputandum proponendæ, conſtitui de *auctoritate magiſtratus cœlitus derivanda*, diſputando oſtendere, quam procul ab omni ejus contemtu Eccleſiæ noſtræ Evangelicæ Doctores abſint, quamque vix ex aliis ſint, qui tantum Principibus honorem ex verbi divini præſcripto tribuant, certus, quot etiam ſcopulis atque difficultatibus malorum hominum perverſitate doctrina hæc ſubjecta ſit, tot ac pluribus, rectè & ad DEI mentem ſi proponatur, gaudere eam utilitatibus ad Eccleſiam pariter ac Rempublicam redundantibus. Erunt fortè, uti nunquam qui alios carpunt deſunt, quibus & ſcripturæ genus leve admodum, neque ſummorum Virorum aſpectu dignum, & conatus hi mei juveniles, neque ex ingenio, neque ex induſtria laudandi videbuntur, quorum ut cenſuram æquam eſſe opto, ita hominem me eſſe, humanisque infirmitatibus nequaquam exemtum, diffiteri neq; volò neq; poſſum jure. Meo poſt DEum rem remigio, ut ille ait, geſſi, cumque iis quos cauſæ noſtræ bonitas inimicos experitur agens, ſinceritati ſtudui atque modeſtiæ, quæ & ætatem, in qua ſum, maximè decet, vixque ulli mortalium, qui animum affectibus non

habet

habet impeditum, diſplicere poteſt vel certè debet: Omiſi, fateor nihil, quod & ingenii & librorum curta ſupellex ſuppeditare potuit, repeto autem in reliquis illud veteris Poëtæ Græci.

'Αλλ ὐ γάρ πως ἐςὶν ἀύπνυς ἔμμεναι αἰὲν
'Ανθρώπυς.

At non fas homines vigilantes perpetuò eſſe.

Caput verò ſummaque erit: *Unde Magiſtratus ſuperioresque quivis poteſtatis atque auctoritatis ſuæ originem deducere atque derivare debeant?* Quod tribus includetur ſectionibus: Prima quid noſtratis Eccleſiæ Doctores ſacris literis conforme eſſe exiſtiment, exponet: In ſecunda quod illis contrarium refutabitur, & tandem quid hujus doctrinæ intuitu Principes, ſubjectosq; iis deceat, in tertia oſtendetur. In prioribus duabus ſcientiam ac θεωρίαν, in poſtrema πρᾶξιν ac prudentiam, quantum per virium imbecillitatem licebit, conabor acquirere. In omnibus verò celebre illud Servatoris noſtri oraculum obſervare ſtudebo, *quo DEO quæ DEI ſunt, & Cæſari quæ Cæſaris ſunt reddenda monuit.* Matth. XXII, 21. *ut DEO,* (quæ Celeberrimi *Bœcleri*, de Auſpicio regio, c.2. §.7. brevis commentatio longeque præſtantior eſt nequiſſimi Miltoni depravatione, in Defenſ. pro Populo Anglic. cap. 3. pag. 74.) *Cæſarem conjungeret pariter ac ſubjungeret, neque tamen ſubjungendo minus quam conjungendo eminentiæ quandam communionem denotaret.* Faxit Deorum DEUS, & Regum ſummus Rex, ne vel timori ejus, vel Principum etiam honori quicquam detrahentes, noſtrique quod officii eſt peragere ſemper ſoliciti, feliciter hæc perficiamus, gaudiaque aliquando æterna cum cujusvis nunquam terminanda ſalute, Reges atque Sacerdotes coram DEO conſtituendi experiamur.

SECTIO PRIMA.

§. 1.

QUandoquidem jam in præfatione paulò fortè verboſior fuerim, idq; *ob morem jam receptum, ut nulla præfatio bona cenſeatur, quæ longiuſcula non ſit,* uti prolixitatem præfationis ſuæ ad primum Tomum Petri de Marca, de Concordia Imperii atque Sacerdotii in præfationis ad Tomum II. fine *Baluzius* excuſat,

circa

circa vocis Magiſtratûs etymologiam ceu Grammatici vocant,at-
que originem oſtendendam haud multùm occupabor , quam-
vis, ne quid exiſtimandum putem , diſſimulem, præ reliquis eo-
rum ſeſe mihi probet opinio , qui vocis Magiſtratus natales in ſu-
pino verbi *Magiſtrare* , quod Feſto interprete regere, temperare
ſignificat, & hujus in voce *Magiſtri* quærunt , quam olim apud
Romanos , Dictatori ſupremaque poteſtate gaudenti tributam
fuiſſe,Romanæ Hiſtoriæ ſcriptores paſſim teſtantur. Altius ve-

Unde forte noſtri Burgi-Magiſtri, Burgermeiſter/ Stättmeiſter/ Ammeiſter
ꝛc. *quos vulgò Conſules ac Prætores imitatione Latinitatis priſcæ & emendatæ
vocant , originem traxiſſe ſuam dicendi ſunt , quam verò cave ante Ottonis M.
tempora ponas, ſiquidem ejus primùm auſpicio,poſt deceſſum Franco-Carolingi-
cæ ſtirpis in Republica Germanica Burgimagiſtri inſtituti ſint, ſequentibus poſt
eum Franco-Salicis atque Suevis.* Confer doctiſſimi Lehmanni *Chronicon Spi-
renſe lib.2.cap 22. & l.4.c.11. & ex eo Clariſſimum Dn* .Schurzfleiſchium, *in
Hiſtoria veteris Regni Burgund. c. 1. §. 4. lit. D.*

rò ſi rem inquiras , haud multum intererit , Magiſtri dictionem
an ab adverbio *magis* deducas , quod magis cæteris Magiſter poſ-
ſit , vel quod magis quam cæteri diligentiam atque ſolicitudinem
rebus quibus præeſt , debeat , quo *Fabro-Buchnerianum Lexicon*
inclinat , an vero à Græcorum ſuperlativo μέγιςος , ut *Voſſius*
vult in Etymol. Ling. Latin. pag. 303. b. ſive, quod alii malunt, à
Perſarum *Magis*, quos Regibus à conſiliis fuiſſe , iisque tanquam
rerum interpretes ſemper adſtitiſſe,& quorum ſine conſilio nil Re-
gibus decernere licuiſſè,ex *Strabone*, *Dione Pruſæo* itemq; *Cicerone*
obſervavit Celeberrimus *Stolbergius*, (quem Wittenbergæ cū vi-
verem,Doctorem ibidem meum fuiſſe jure glorior) in brevi ſua de
Magis Comentatione §.8. Id quod & de priſcis Germanorū Sacer-
dotibus *Tacitus* narrat, *de Moribus German.* p.m. 438. edit. Plant.

§. 2. Utimur autem vocabulo Magiſtratus, neque *notio-
ne abſtractiva*, pro ipſa qua imperantes pollent poteſtate atque au-
ctoritate , uti Latinorum formulæ habent , *gerere Magiſtratum*,
obtinere Magiſtratum , *abdicare ſe Magiſtratu &c.* neque *nimis
ſpeciali atque arctiori* , qua illi tantùm Magiſtratus dicuntur , qui
in Urbe vel Republica aliqua præcipiendi facultate gaudent , qui-
que Regum atque Principum dominio, vel ſubjacent , vel poſtpo-
nuntur, vocarique cum adjectione municipales , vel oppidani ſo-

lent, ſicut & Romæ erant, vel majores, vel minores Magiſtratus: *Majores*, Conſules, Prætores, Cenſores, &c. *Minores*, Ædiles, Quæſtores, de quibus vid. *Andr. Dominici Flocci* eximium libellum *de Romanorum Magiſtratibus*, quem neſcio cur quidam antiquo ſcriptori *Lucio Feneſtellæ*, Plinio, Agellio, aliisque ſæpe laudato adſcripſerint, quo de *Martin. Hanckius*, de Script. Rer. Roman. p. 196. ſed *laxiori & concreta*, pro quibusvis ſuperioribus, qui aliis regendis ac defendendis præſunt, ſive Reges ſint ac Principes, ſive horum vice in Regno aut civitate aliqua fungantur. Et ita *Ciceronem primo de Officiis* vòce Magiſtratûs uſum legimus, quando ſcribit: *Eſt proprium munus Magiſtratus intelligere, ſe gerere perſonam Civitatis, debereque ejus dignitatem & decus ſuſtinere &c.* Neque tamen nimis laxè accipimus vocabulum *Magiſtratus*, ſicuti *Plutarchus*: *Virum bonum à natura Magiſtratum deſignari*, itemque *Euripides*: *mente qui prudente pollét eum Magiſtratum gerere* dixére, & *Cicero* ſapientem nunquam privatum eſſe Naſicæ exemplo probavit, apud *Grotium* de J. Belli & Pacis lib. II. cap. 20. §. 9. p. 360. Minus enim accuratè probum quemque jus aliis imperandi habere dici poſſe, quivis facile videt; Taceo alia quæ inde derivari poſſent abſurda.

Ut mirer Grotium *l. c. ſcribere*: Quæ tamen in Republica intelligenda ſunt, quatenus ejus leges id ferunt. *At ubi ea Reſpublica, in qua ejusmodi leges vigeant, quæ & quemvis probum ac honeſtum Virum ſummæ ſtatim poteſtatis participem faciant, neque agnoſcant ſemper imperantes, niſi ex omni parte beatos? Quam multi forent ſic, quibus Plautinum illud*: ſine ſuffragio populi ædilitatem hic quidem gerit, *exprobrare liceret.*

§. 3. Civilem ſive Politicum dum Magiſtratum appello, cujus me auctoritatis ac poteſtatis originem oſtenſurum in hac Diſſertatione eſſe pollicitus ſum, *Jacobi Arminii*, Celebris illius apud Batavos paſſim notæ Arminianorum ſectæ conditoris, vanam ſubtilitatem contemno, quando in Articulis nonnullis diligenter perpendendis, Articulo de Magiſtratu primo, Opp. p. 788. minus rectè Magiſtratum ſummum Politicum aut ſecularem dici aſſerit, *quia hæ voces Eccleſiaſticæ & Spirituali poteſtati opponerentur, à qua Magiſtratus ſummus excludi non deberet*, quaſi non niſi ob hanc rationem Magiſtratus dici poſſet politicus ac civilis? Neque nos Magiſtratui jus, quod vi cœleſtis ſuæ originis in rebus Eccle-

ſiaſti-

ſiaſticis habet, denegamus, putamus tamen aliam adhuc, cur Magiſtratum cum adjectione Politicum ac Civilem nominemus, dari poſſe rationem; vel quod non niſi ex Civibus atque perſonis Politicis conſtet, conſtareque debeat, vel quod ἡ πόλις atque civitas, ejusque gubernatio majorem curarum ejus partem conficiat, vel denique quod Civium hominumque ἐν πολιτείᾳ viventium, ſalus curæ cordique ſemper ſummo Magiſtratui eſſe debeat. Philoſophus *ſubjectivè* eum, *objectivè*, atque *finaliter* ſic dici enunciaret.

§. 4. Sed video, quò magis prolixitatem in limine vitare conſtitui, eò minus voti reddor mei particeps: Igitur ne pluribus memet ambagibus implicem, ne attingam quidem vel breviſſimè alias vocis Magiſtratus vel ambiguitates, vel apud alios populos ac gentes, & nunc & olim eam exprimendi conſuetas dictiones, quas ſynonyma aliâs vocamus, neque definitio Magiſtratus, multiplexque modorum imperandi partitio negocii nunc mihi faceſſet quicquam, quorum omnium plenior pertractatio in Theologorum ſyſtematibus, aliisque de Magiſtratu Politico conſcriptis libellis quæri poterit, promiſſi contra mei memor ad quæſtionem abs me propoſitam: *Unde Magiſtratus Civilis functionis atque muneris ſui auctoritatem ac valorem habeat?* animum adverto, Doctoresq; noſtros, & quos illi, ſacros divinoque afflatu exaratos libros ſecutus, omnem, qua Reges ac Principes aliique imperantes, ſpeciatim etiam ſinguli gaudent auctoritatem ac poteſtatem, à DEO Dominantium Domino, Regumque Rege, eoque ſolo atque ἀμέσως eos habere, neque alios adhuc DEO jungendos, quibus eam acceptam ferre dicendi ſint, intrepidè pronuncio. Quod antequam probare aggrediar, adnotanda veniunt quædam, vel obſervatione digna, vel ad propoſitæ quæſtionis enodationem opportuna: Quibus dilucidè expoſitis, contradictiones plurimæ, adverſus ſententiam noſtram jactari ſolitæ, concident ipſæ per ſe & evaneſcent. Intellectum autem modo aſſertum & de omni, & de tota Magiſtratus auctoritate atque eminentia, tum in fieri, ut Philoſophi loquuntur, tum in eſſe, uti volo, neque vel ejus dimidiam tantùm, vel etiam præcipuam partem, ſed integram plenamque ſolius DEI beneficium eſſe, ajo, ita vitioſum accidens à re ipſa ſeparandum

diſtinguendumque eſſe moneo. Vitio enim eorum, qui imperio præſunt, ſæpe cum ſumma poteſtate conjunctam ἀταξίαν, aliasque corruptelas, ſcelera, ac flagitia, quæ quandoque ſub poteſtatis ſummæ nomine, non ſine magna erga ſummum Numen injuria, venum exponuntur, abſit ut auctore DEO, vel eſſe, vel committi dicam; neque enim is iniquitatem malumvè ullum vult aut amat, ſed flagrantiſſimo ſemper odio proſequitur. Pſalm. V. 5, 6, 7. Cujus obſervationis uſus cum alibi, tum vel maximè in hac de Magiſtratus ἀνυπευθυνίᾳ diſquiſitione per magnus eſt, poteſtatisque ſupremæ oſoribus refutandis egregiè inſervit.

§. 5. Unde ſimul illud perſpicitur, nequaquam à nobis in illis, qui in imperiis ſunt, vel vitæ morumque probitatem, vel etiam rectam de DEO atque myſteriis divinis opinionem hîc attendi, quam maximè aliâs utramque ſemper apud eoſdem reperiri optemus, *Juſtinum Martyrem* in Apolog. II. pro Chriſtianis fol. 50. imitati, εὐχόμεθα τοὺς βασιλεῖς καὶ ἄρχοντας μετὰ τῆς βασιλικῆς δυνάμεως καὶ σώφρονα τὸν λογισμὸν ἔχοντας εὑρεθῆναι, Verùm æquè de piorum atque impiorum, æquè de Neronis atque Conſtantini poteſtate affirmamus, quæ theſis ſupra poſita defendere, idque jure audet, conſtabitque ex probationibus, quas mox pro ea ex ſcriptura afferemus, hac in re nullum à DEO diſcrimen obſervari. *Qui Mario Imperium dedit*, inquit *Auguſtinus* lib. V. de Civit. DEI cap. 15. (ipſius enim verba, quia notabilia ſunt, afferam) *Ipſe etiam Cajo Cæſari, qui Auguſto ipſe & Neroni, qui Veſpaſiano vel patri vel filio ſuaviſſimis Imperatoribus, ipſe etiam Domitiano crudeliſſimo, & ne per ſingulos ire neceſſe ſit, qui Conſtantino Chriſtiano, ipſe Apoſtatæ Juliano &c. Hæc planè DEUS unus & verus regit & gubernat ut placet.* Imperium enim & domeſticum Patris-familias in familiam, & civile Magiſtratûs in ſubditos, quod uterque, tum ut juſtitiam adminiſtret, tum ut ſontes puniat, à DEO habet, non ex mero hominum inſtituto eſſe, ſed ipſa natura duce cœpiſſe, & in ſtatu etiam Adami primo, quem integritatis appellamus, locum habiturum fuiſſe, (non quidem tale quale nunc eſt, virgis videlicet & ſecuribus tremendum, ſed quod ſubjectionem ſpontaneam & minus moleſtam inferiorum continuiſſet, quodque conſulendi officio promtum fuiſſet, contra Grotium *Dn. D. Zieglerus*, in no-

tis ad ejus librum de Jure Bel. & Pacis paſſim probat, maximè pag. 146, 428, & 436. Jus autem naturæ ita omnibus hominibus commune eſt, ut religionis diſcrimen non admittat, ceu rectè *Grotius* in citato libro de Jure B. & Pac libr. 2. cap. 15. §. 8. pag. 294. *Nam quando quis DEUM planè negat, religionis non tam facit diſcrimen, quam omnem planè tollit, quod ad* Dn. Ziegleri *exceptionem in notis ad dictum locum Grotij p. 382. obſervandum.*

Pietas atque Religio Reipublicæ accidens, *forma accidentalis*, ut B. *Hulſemannus* loquitur Extenſ. Breviar. c. 20. §. 1. p. m. 297. eſt, ejusque ſubſtantiam non tollit, ſicut & Eccleſiæ Miniſtro itemque Patrifamiliâs accidit, probum eſſe atque in veræ religionis capitibus rite inſtructum: Neque enim deſinit eſſe Parens, aut Eccleſiaſticum miniſterium eſſe DEI ordinatio, licet uterque pius Chriſtoque Servatori ſuo fidus eſſe deſinat. Eodem planè modo ex imperantium vitiis, ſceleribus atque falſis dogmatis ipſa, quâ pollent, auctoritas atque poteſtas detrimentum accipit planè nullum. Facitq; huc, quod in *Auguſtana* noſtra *Confeſſione* Art. XVI. dicitur, & in ejus Apologia de Ordine Politico p. m. 215. confirmatur: *Evangelium non diſſipat Politiam aut Oeconomiam*, (non abolet fides Chriſtiana, quæ DEUS tanquam auctor & reparator naturæ ad conſervandum ordinem in ſocietate humana inſtituit,) *ſed maximè poſtulat conſervare, tanquam ordinationes DEI. Omnes Magiſtratus*, inquit magnus noſter *Schmidius*, in Colleg. Bibl. Prior. pag. 368. *ſeu officia in ſe bona à DEO tranſferuntur, in perſonas non tantùm bonas, ſed & malas, non tantùm in bene adminiſtrantes, ſed etiam injuſtè & tyrannicè. Ubi verò DEUS nihil facit niſi bonum, nec dat niſi bonum: quicquid autem mali concurrit, ab hominibus advenit, unde, ubicunq; verus Magiſtratus eſt, ſive in perſona bona, ſive in mala, ſive in legitima, ſive illegitima, ibi dici poteſt, quod Magiſtratus etiam in concreto ſumtus à DEO ſit: idque propter Magiſtratum quem gerit verum, eo quod nihil veri & boni niſi à DEO.* Quo ipſo quidem tyrannorum cauſam non ago, neque eorum tyrannidis excuſationes adornare inter obſequii artes numero, cavendum tamen eſſe religiosè exiſtimo, ne imperantium labes ac vitia cum ipſa muneris eorum ſanctitate confundantur, aut legitima imperandi poteſtas, vel minimum inde patiatur, quippe quam DEUS et-

Lutherum in hoc noſtrum ſequor, qui ita Tom. IV. Altenb. pag. 395. hac de re diſſerit. Es ſagen etliche / wie kan Obrigkeit von GOTT ſeyn / ſo doch viel mit unrechter Gewalt zu herrſchen kommen ſind / als Julius / und die Schrifft nennet Nimrod einen Jäger / darumb / daß er ſehr zugriffen hat / Gen. 10. Antwort / da St. Paulus Rom. 13. ſchreibt / daß Obrigkeit ſey von GOTT / ſoll man verſtehen / nicht daß Obrigkeit alſo ein Verhängnuß von GOTT ſey / wie Mörderey / oder ein ander Laſter von GOTT verhänget werden / ſondern das ſoll man verſtehen / daß Obrigkeit ein ſonderliche Ordnung und Geſchöpffe GOttes ſey wie die Sonne von GOTT geſchaffen iſt / oder wie der Eheſtand von GOTT eingeſetzt iſt. Und wie ein Böſer / der ein Weib nimpt / nicht guter Meynung der Ehe mißbraucht / alſo mißbraucht auch ein Tyrann GOttes Ordnung / als Julius oder Nero. Dennoch iſt die Ordnung / dardurch Recht und Friede erhalten wird / ein göttlich Geſchöpffe / ob ſchon die Perſon / ſo der Ordnung mißbraucht / unrecht thut.

iam injuſtiſſimis invaſoribus populos malè occupatos regendi concedit, hosque ſubdi eis & in regimine ſubjici præcipit, ſicut factum videmus tempore Regis Babylonis, cui ſubjectos Iſraëlitas eſſe debere divinus Propheta monet, Jerem. XXVII, 8.12. cap. XXIX, 5.6. ſeqq. Neque etiam illud nego, naturæ ductui convenientius omninò eſſe, ut qui dignior ſemper imperet, uti *Plutarchus* iu Philopœmene, inquit, τὸς ἑαυτῦ πολίτας ἀναλαβὼν ὔτε νόμον, ὔτε χειροτονίαν περιμένοντας, ἀλλ' ὡς διὰ παντὸς ἄρχοντι τῷ κρείττονι κατὰ φύσιν ἑπομένυς, ſicut & *Grotius* de J. B. & P. lib. 2. c 17. §. 3. ex Cajetano, Soto, atque Leſſio diſputat, *eum cui Magiſtratus* (intellige inferioris) *collatio mandata eſt, Reipublicæ teneri ad eligendum eum, qui dignus ſit*; & *Feldenus* contra Theod. Grasvvinckelium in not. ad H. Grot. lib. 2. cap. 22. n. 13. oſtendere conatur, *populis Chriſtianis naturaliter tanquam melioribus competere imperium totius orbis :* Natura tamen ipſa habilem & idoneum aliquem reddendo, imperium ſimul non confert, quia ſæpe fit, ut ille ſubjectus ſit, qui aptior digniorque eſt actu imperante.

Mirum, Patribus in Concilio Tridentino hæc adeo diſplicuiſſe, quando communi decreto digniorem ſemper ad Epiſcopatum eligendum eſſe determinare recuſârunt, ſcilicet quod ſufficeret ſi dignus ſit, vid. Petrus Suavis, *Hiſtor. Concil. Trident. libr. 8. pag. 811. 812. Quibus modernus Pontifex in nupera ſuâ*

excom-

excommunicatione Dogmatum Moraliſtarum è Societate Jeſu aſſenſum ſuum præbuit §. *47.*

§. *6.* Notandum præterea ad quæſtionis productæ rectiorem intelligentiam, ſermonem nobis non eſſe de hac vel illa regiminis forma, Monarchia, Ariſtocratia, Democratia &c. quum certum ſit, DEUM neque naturæ neque poſitivo jure ullam ſpecialem regiminis formam immediatè inſtituiſſe, ſed naturæ hominum reliquiſſe, eam regiminis ſibi eligere formam, quam ſibi conducere cumprimis judicaret; ſed quando auctoritatem poteſtatemq; Magiſtratûs ἀμέσως à DEO eſſe dicimus, civilem poteſtatem ab omnibus ſpecialibus modis, quibus illa exercetur, in genere præſcindimus ac abſtrahimus. Unde cum ex Democratica gubernatione Monarchica fit, & contra, aut alio aliquo modo regiminis forma mutatur, tunc nō transfertur poteſtas jure humano, ſed fit abdicatio poteſtatis, & novæ regiminis formæ electio, DEO ſemper immediatè novo Rectori, (ſive nunc is populus ipſe ſit in democratia, ſive optimates à Populo huic fini deſignati ac electi, ut in Ariſtocratia, ſive Rex, Princepsve, ut in Monarchia,) imperandi poteſtatem largiente, qua ſe vel ſponte priores abdicaverant, vel juſtè eos DEUS privaverat ac ſpoliaverat. Facta namque mutatione perſonarum regentium, DEUS etiam ſtatim ſuam poteſtatem ad ſe retrahendo, prioribus aufert & in poſteriores transfert, nil ſic penes populum, niſi futura rurſum mutatione, remanente conſenſu atque ſubjectione. Breviter, in ſpeciebus illis poteſtas civilis quantùm ad finem ejus à DEO inſtitutum, ut *tranquillam & quietam vitam agamus in omni pietate ac caſtitate*, *1. Tim. II, 1.* ſufficit, neque ipſa variat, utut modus ejus variet atque ſubjecta: Semper manet τὸ κράτος, mutatis licet perſonis, ut vel unus illud habeat, ſitque Μοναρχία, vel optimates, ſitque Ἀριστοκράτεια, vel denique quidam ex & à populo electi, efficiaturque Δημοκράτεια. Vide plura apud *Marcum Antonium de Dominis* de Republ. Eccl. lib. VI. cap. 2. num. 20. ſeqq. pag. m. 527. & in oſtenſione Errorum Franc. Suarez. cap. *3.* n. *6.* & *9.* p. 920, 921.

§. 7. Huic confinis eſt obſervatio illa, quæ non tantùm ipſam Magiſtratuum poteſtatem, ſed & poteſtatis cum hoc vel illo individuo ac ſubjecto, ſive Princeps ſive Optimates ſint, compoſi-

poſitionem ac conjunctionem, ἀμέσως atque immediatè à DEO eſſe monet, ita, ut qui in particulari poteſtatem illam imperandi habet & exercet, proximè atque ἀμέσως à DEO eam habeat, neque loco populi eligentis, ſed ipſius DEI eandem exerceat. A qua verò compoſitione ſupremæ poteſtatis, accuratè diſcernenda eſt deſignatio, ſeu applicatio poteſtatis ad hanc vel illam perſonam, quam electionem aliâs atque ordinationem dicimus, & ab hominibus eſſe nequaquam inficias imus; Novi ſcilicet Teſtamenti tempora ſi reſpicias; Nam in Vet. Teſt. & ipſos ſæpe, qui Magiſtratum geſſerunt homines, ἀμέσως atque extraordinariè à DEO vocatos, & ut imperarent electos fuiſſe, *Moſis* Exod. III, 10. *Joſuæ* cap. I, 2. *Judicum* in eorum hiſtoria paſſim, *Saulis* 1. Sam. IX, 17. *Davidis* 1. Sam. XVI, 12. aliorumque exempla comprobant. Quamvis *Bellarmino* atque *Suarezio*, illi in Apolog. contra Regem Angliæ, huic in Defenſ. Fid. Cath. cap. 3. n. 2. nec hos immediatè poteſtatem à DEO habuiſſe ſuam videatur, contrarium rectè nobiſcum *Tannero* ſtatuente, Tom. II. Theol. Schol. Diſput. V. n. 73. cum quo rem hanc illi prius tranſigant. Habet ſcilicet populus, prout regnorum imperiorumque leges permittunt, poteſtatem deſignandi ac eligendi Rectorem, (ſive unus ille ſit ſive plures,) qui poteſtatem à DEO immediatè inſtitutam uſurpet, non verò in conferendæ poteſtatis actum ipſe immediatè influit, ſed ſubjectum ſaltem è reliquo numero deſignat, cui DEUS poteſtatem à ſe inſtitutam applicat, deſignando verò populus etiam applicat, ſed non tam perſonæ poteſtatem cœlitus derivandam, quam hanc ante jam à DEO inſtitutam perſonæ à ſe electæ: Pono, populum aliquem in unum coire, Regemque ſibi (à quo jus ſucceſſoribus in Regnum perpetuò derivandum ſit,) eligere, perſonam certè electione ſua in medium tantùm producere, Deoq; proponere dicendus eſt populus, qui Regem Principemque illum, ſtirpemque ſemper proximam, majeſtatis atque eminentiæ ſuæ divinæ radiis reverendum ac auguſtum, atque reapſe Regem pòſt reddit, ſicque non multitudinem, ſive populum Regiam auctoritatem huic perſonæ, ſed perſonam auctoritati directè à DEO in perſonam deſignatam emananti applicare verum ſit. Populus non eſt niſi Miniſter & executor divinæ voluntatis, quando huic Regimen committere

alicui placet. Utitur quidem DEUS ejus operâ, utut non ſemper, in eligendis & deſignandis certis perſonis, nemine verò utitur ad communicandam actualem regendi poteſtatem, quam ipſe ſolus communicat perſonæ, humanis modis ac mediis huic fini deputatæ. Hic vel ille quod Rex ſit, nec alius, imperiumque gubernandi quod habeat Cajus, & Sempronius ſubjectus ei ſit, ἀμέσως quidem, ſicut quondam in Judæorum Republica, à DEO non venit, ſed vel electionis, vel ſucceſſionis, vel occupationis, vel alio titulo aliquo ab iis, quibus præeſt, habet, quo de inter Politicos multæ lites, quæ vero à noſtra tractatione alienæ, (videri tamen ex abundanti poteſt Doctor *Gerhardus* in LL. Theol. Tom. VI. pag. m. 263. ſeqq.) ipſam tamen Regiam Majeſtatem gubernandique imperium ita Magiſtratus habet, ut ſolo DEO minor ſit, eique ſoli & ἀμέσως ſubjectus. Perinde uti jus poteſtasque, quam Miniſterio Eccleſiaſtico competere in Verbo DEI docemur, Eccleſiam docendi & adminiſtrandi ſacramenta, manus item imponendi clavibusque utendi, ἀμέσως eſt à Chriſto, cujus Eccleſiaſtæ atque Sacerdotes Legati ſunt, Paſtoribus tamen atque verbi divini Miniſtris, Prophetas & Apoſtolos (hoc quoque reſpectu ἀμέσως vocatos,) ſi excipias, per hominum conſenſum applicatur. Egregie hæc *Petri de Marca*, Archiepiſcopi quondam Pariſini, verba illuſtrant, quæ in excellentiſſimo ejus Opere de Concordia Sacerdotii & Imperii, Tom. I. lib II. cap. 2. §. 1. pag. 58. edit. Pariſ. 1663. reperiuntur; *Sanè dubitandum non eſt, quin Regum perſona vel ſuffragijs populorum ſpecialiter eligatur, vel generaliter translato regnandi jure hæreditario in aliquam generoſam ſtirpem natalium ſorte in Regium culmen aſſurgat; ſed præterquam, quod & motum animis eligentium DEUS inſpirat, quò in illa ſuffragiorum ſortitione unum alteri præferant; certũ & conſtantiſſimum eſſe debet apud pios & devotos Regum Cultores, unicuique Regum poteſtatem Regiam immediatè à divino Numine conferri.* Cui conſona ex aſſe ſunt, quæ Gallus quidam in volumine II. *des Eſſais de Morale*, *Traité 6. de la Grandeur* ſcribit, quæ ejuſdem verbis proferre lubet: *C'eſt par cette doctrine*, (du St. Paul dans ſon Epiſtre aux Romains chap. XIII.) *qu'il eſt facile de comprendre; qu'encore que la Royauté, & les autres formes de gouvernement, viennent originairement du choix & du conſen-*

C *tement*

tement des peuples, neanmoins l'authorité des Rois ne vient point du peuple, mais de DIEV ſeul. Car DIEV a bien donné au peuple le pouvoir, de ſe choiſir un gouvernement; mais comme le choix de ceux, qui eliſent l'Eveſque n'eſt pas ce, qui le fait Eveſque, & qu'il faut, que l'authorité Paſtorale de JEſus Chriſt luy ſoit communiquée par ſon ordination; auſſi ce n'eſt point le ſeul conſentement des peuples, qui fait les Rois; c'eſt la communication, que DIEV leur fait de ſa Rojauté, & de ſa puiſſance, qui les établit Rois legitimes, & qui leur donne un droit veritable ſur leurs ſujets. Et c'eſt pourquoy l'Apoſtre n'appelle point les Princes Miniſtres du Peuple, mais il les appelle Miniſtres de Dieu, par ce qu'ils ne tiennent leur puiſſance, que de DIEV ſeul. Vide ibidem plura, in quibus vel tranſcribendis huc, vel in Latinum transferendis chartæ atque tempori parco.

§. 8. Applicatio autem illa Poteſtatis ſupremæ legitimo modo ſeſe habeat, nec ne, nil refert, quoniam Principum electiones, & in imperia ingreſſus incertiſſimi ſunt, fiuntque modis perquam variis, malis & bonis, juſtis & injuſtis, licitis & minus, ſicut natura corrupta vix perfecti quid dari permittit. *Vitia erunt donec homines*, inquit *Tacitus*, *nihilque eſt*, de *Grotij* ſententia in libro de Jure B. & Pacis lib. 1. cap. 3. §. XVII num. 2. pag. m. 77. *in Civilibus, quod omni ex parte incommodis careat*; DEUS verò naturam miraculis & mediis præter ejus ordinem conſuetum gubernari non vult, proviſum itaque eſſe voluit, ut modi imperia obtinendi ſæpe varient, ipſe tamen ob tinenti ἀμέσως daret regiminis poteſtatem. Neque noſtrûm eſt, quibus obſequii gloria relicta, cognoſcere ac definire, jure ne an ſecus Principes magiſtratum gerant, quia quod apud *Xiphilinum* in vita M. Anton lib. 4. M. Antoninus Philoſophus dicit: *De ſummo Principatu ſolus DEVS poteſt judicare*; Uti nec minoris temeritatis eſt, acta judicataque à Principibus ſub cenſuram vocare, indeque contra eorum quam à DEO habent poteſtatem decernere, quandoquidem rectè agere vel perperam, haud idonea poteſtatis menſura ſit, nedum ejus dividendæ aut transferendæ modus licitus ac conceſſus, maximè in Reipublicæ adminiſtratione, ubi contrario ſæpe modo evenit, ut quæ optimè conſulta, pro peſſimis accipiantur, & viciſſim imperitis prava pro ſalubribus illudant. Præclarè

rè hîc, ut in tota hac materia, (quo nomine etiam commendatus à *Boeclero* eſt de Auſpicio Regio c.2.§. XIII. pag. 20.) *H. Grotius* lib. 1. de J. B. & Pacis cap. III. num. 9. p. 67. inquit: *Bonitas aut malitia actus, præſertim in civilibus, quæ ſæpe obſcuram habent diſceptationem, apta non ſunt ad partes diſtinguendas: Unde ſummam confuſionem ſequi neceſſe eſt, cognitionem de re eadem pro jure poteſtatis, obtentu actus boni malive hinc ad ſe Rege trahente, inde populo, qualem rerum perturbationem introducere, nulli quod ſciam populo in mentem venit.* Adde B. *Dannhauer* Theol. Conſcient. Tom. I. part. II. pag. 862.

§. 9. Illud etiam ad quæſtionis noſtræ illuſtrationem egregiè facit, quod aliud ſit de re quærere, aliud verò de modo habendi, *quod non in corporalibus tantùm, ſed & in incorporalibus procedere, Grotius* ait citato ſæpius de J.B.& P. libro p.68. Sic omnem Magiſtratum, ſive Princeps ſit, ſive eo inferior Magiſtratus in Urbibus, Nobiles in pagis, &c. auctoritatem majeſtatemque ſuam immediatè à DEO habere dicimus, ſimulque inferiorum Magiſtratuum & creationem, & juriſdictionem, majeſtatis intuitu paſſivam eſſe ac dependentem, cum *Jacobo Lampadio* de Republ. Rom. Germ. part. 1. n.14. & qui eum ſequitur *Caſpare Zieglero* notis ad Grotium p. 170. ſeqq affirmamus. Priori reſpectu immediata poteſtatis derivatio à DEO omnibus ὑπερέχουσι communis eſt, hoc verò diſcrimen aliquod intercedit, non quidem poteſtatis ratione, quam omnes ἀμέσως habent, ſed perſonarum poteſtatem habentium, quarum quædam nimirū ſuperiores Magiſtratus independenter eam habent, aliæ verò videlicet inferiores dependenter, atq; à ſuperioribus communicativè. Id quod *Grotius* divina auctoritate probat, ſic ſcribens lib.1. de J. B. & Pacis c. 4.§.6.p.96. *Apoſtolorum Princeps* (qua ratione Petrus ſic apud Latinos Patres vocetur, apud *Caſaubonum* vide in Exerc. adverſ Baronium Exerc. XV. p. m. 353. & *Marc. Antonium de Dominis* de Republ. Eccl. lib. 1. cap. V. pag.21. ubi Paulo etiam titulum hunc tributum in antiqua Eccleſia fuiſſe obſervat) 1. Epiſt II, 13. *Subjectos nos eſſe vult aliter Regi, aliter Magiſtratibus: Regi ut ſupereminenti,* i.e. *ſine ulla exceptione, præter ea, quæ DEUS directè imperat, Magiſtratibus tanquam miſſis à Rege, i.e. poteſtatem ſuam à Rege ducentibus.* Et rectè quidem hæc Grotius: Licet enim quidam δι' αὐτοῦ Apoſtoli ad DEUM referant, ſenſu eo, quod non ſolùm *Rex,* ſupremus

Magiſtratus, ſed etiam *Præſides*, inferiores Magiſtratus à DEO miſſi ſint; quod uti non negamus, ita malumus intuitu oppoſitionis, ὡς ὑπερέχοντι & ὡς δι' αὐτοῦ πεμπομένοις, communem ſequi ſententiam, quod Apoſtolus Præſidibus obtemperandum præcipiat, per & propter Regem atque Imperatorem, à quo cum imperio in provincias miſſi, ejusque ibidem ſint vicarii, & ad quem appellari ab his poſſit: Ita tamen, ut διὰ *per* inſtrumenti ſeu medii vices obtineat, *tanquam per eum*, ſcilicet Regem, *miſſis*, nempe à DEO, *ut habeamus mediatam miſſionem, ejusq́ causam ſupremam & ſubordinatam*, uti excellens fidelisque Scripturæ Interpres Dominus D. *Schmidius* noſter in Colleg. Bibl. Poſter. p. 342. locum hunc exponendum ſenſit.

Et licet finem vindictæ malorum & laudis bonorum, quem Apoſtolus adjecit, non omnes Reges intendant, ipſius tamen miſſionis legitimæ finis eſſe non poteſt, nec debet alius, videturque Apoſtolus reſpexiſſe eo ad commonefaciendos Chriſtianos, ne Præſidum ſcelera, (quæ permagna ſæpe fuiſſe Hiſtoria Romana teſtatur,) Imperatoribus aut eorum miſſioni imputarent; ſicut & *Auguſtinus* epiſt. V. Tom. II. Opp. p. 24. Marcellino conquerenti, per quoſdam Chriſtianos Imperatores multa mala imperio acceſſiſſe, reſpondit: *Sunt hæc vitia non Imperatorum, ſed aliorum ſine quibus Imperatores nihil agere poſſunt.* Congruit interpretatio *Bedæ*, quæ Tom. XXI. Concil. Pariſ. pag. 224. citatur: *Non quod omnes, qui à regibus mittuntur duces, vel malefacientes punire, vel bonos laudare noverint, ſed quæ eſſe debeat actio boni Ducis ſimpliciter narrat, hoc eſt, ut malefacientes coërceat, & bene agentes remuneret.*

§. 10. De duobus adhuc dicendum, antequam ad aſſerti noſtri probationem accedamus, & quid per poteſtatem intelligamus, & quomodo poteſtatis hujus à DEO conſequendæ immediatio debeat explicari. Et primò quidem, ut de poſteriori ordiar, immediationẽ verè talem proprieq; dictam intelligimus; quæ nullum planè medium intervenire patitur, ita *ut nulla creatura alia in pari, aut ſuperiori genere cauſa, neque ex principiis ſecum natis, quicquam ad inſtitutionem ſupremæ poteſtatis contulerit.* Vapulat igitur *Suarezij*, itemque *Tanneri*, nec non *Bellarmini* immediatio, quam in libris poſt citandis, ut plura ſcripturæ loca & Patrum dicta, quæ DEUM immediatum poteſtatis politicæ cuique imperanti donatorem faciunt, ſibi non adverſa eſſe

oſten-

oſtendant, comminiſcuntur, *quæ conſequenter per naturam ſocietatis humanæ à DEO immediatè conditæ à DEO eſſe perhibetur, ita ut Principum poteſtas immediatè à DEO eſſe dici poſſit, quatenus nempe concredita ea primùm populo & univerſitati eſt, per naturalem conſecutionem ex vi primæ creationis ejus, & eorum deinde ſuffragiis in Reges Principesque confertur, qui plenum imperii ſic ſui beneficium non DEO tantùm, ſed & populo acceptum ferre debeant.* Quaſi qui formam rei alicui dat, ea quoque, quæ formam conſequuntur, immediatè indidiſſe dici poſſit? Immediatio, quam Patres iſti fingunt, *tam eſt à DEO*, ut benè Dn. *Dannhauerus* noſter in Hodomor. Pap. Tom. I. pag. 785. *quam eſt quilibet effectus naturalis, naturalem cauſam ſequens, hoc eſt, non immediatè. Quis enim dicat, vinum quod è vitibus naſcitur, eſſe immediatè à DEO?* In altero, poteſtate nimirum ſuprema, quæ facit, ut Magiſtratus Civilis ſit quod eſt, & Magiſtratus nomen involvit, quamque ſine ullo participante medio à DEO eſſe, eumque habere defendimus, explicando ocium mihi fecit *D. Gerhardus* in LL. de Magiſtr, Tom. VI. §. 121. pag. m. 278. ſeqq. ubi eam ex Pauli ad Urbium Principem epiſtola c. XIII, 4. deſcribit, quod ſit *poteſtas à DEO ordinata, gladio armata, in laudem bonorum & terrorem malorum, vindex in iram illis, qui malum agunt.* A quo non multum abit monſtrum illud ingenii; (quo nomine Celeb. Tubingenſium Theologo D. *Oſiandro*, de Trinit. Myſter. pag. 2. *H. Grotius* venit) de Jure B. & Pacis lib. 1. c. III. §. 6. pag. m. 58. Aliorum ſententias & opiniones neque rejicio planè, neque tamen allegare eas atque examinare in hac ſcribendi feſtinatione atque brevitate licet. Illud ſaltem adhuc monere neceſſe eſt, *ſupremæ poteſtatis, eminentiæ, auctoritatis, majeſtatis &c.* vocabula aliorum exemplo, tum & ne eadem vox toties repetatur, à nobis pro ἰσοδυναμοῦσι accipi, licet in quibusdam diſtingui inter ſe debere, ſcientiam noſtram nequaquam fugiat.

§. 11. Sententiam expoſui, quid ſtatuendum putem, ſupereſt, ut quibus ego auxiliis atque fundamentis rem defendi poſſe credam, exponam. Quæ enim adducta abs me hactenus fuere, ejusmodi ſunt, ut quæſtionis ſtatui rite cognoſcendo inſerviant, *de quo lectores monendos* rectè *Melanchthon* ſcribit in Apo-

log. Auguſt. Confeſſ. de Miſſa pag, m. 251. *ut Æſchines admonebat judices, ut perinde ac pugiles inter ſe certant, ita cum adverſario dimicarent ipſi de ſtatu controverſia, nec ſinerent eum extra cauſam egredi*, ſperoque ex iis, non modo multum lucis

Bene Plato *in Cratylo ſub finem*: δεῖ δὴ περὶ τῆς ἀρχῆς παντὸς πράγματος παντὶ ἀνδρὶ τὸν πολὺν λόγον εἶναι καὶ τὴν πολλὴν σκέψιν, εἴτε ὀρθῶς εἴτε μὴ ὑπόκειται, ἐκείνης δὲ ἐξετασθείσης ἱκανῶς, τὰ λοιπὰ φαίνεται ἐκείνῃ ἑπόμενα. *Debet quisque circa rei cujusque principium ſtatuendum multa diſſerere, diligentiſſimeque conſiderare, utrum rectè decernat nec ne, quo quidem ſufficienter examinato cætera jam principium ſequi debent.*

toti Diſputationi eſſe acceſſurum, ſed & ipſam intellectu faciliorem futuram. Brevibus at nervoſis eum verbis *D.Dannhauerus* expreſſit in Hodomor. Pap. Tom. I. phant. II. pag. m. 785. quem omninò vide. Magiſtratum autem Civilem, quocunque nomine appelletur, poteſtatem ſuam ἀμέσως nec niſi à ſolo DEO habere, ſolidè comprobatur, partim DEI ipſius in verbo ſuo aſſeveratione, partim nominibus, quæ ad id ſignificandum in S. Scriptura Regibus atque Principibus tribuuntur: partim rationibus, quibus à nullo alio quam à DEO Magiſtratuum originem derivandam eſſe oſtenditur: partim auctoritate Veterum Patrum, ſcriptorumque etiam recentiorum, qui nobiſcum idem fatentur: partim judicio ac confeſſione ſcriptorum externorum, & à fide, quæ Chriſtum ſolum hominum ſervatorem agnoſcit, alienorum, qui & ipſi velut rationis quodam ductu poteſtatem Principum ſuorum à Diis, quos finxerunt, immediatè provenire aſſeruerunt; ac Principum denique ipſorummet teſtimonio, qui majeſtatem atque auctoritatem functionis ſuæ non niſi DEO acceptam tulerunt. Hæc omnia quidem cum cura tractare velle, res ſcio fuerit ingentis Commentarii, & cui ego vix ſufficerem; Verùm nos ex immenſa ſylva tantummodo paululam ſtruem congerèmus.

§. 12. Ut igitur à ſcriptura initium faciamus, quæ vel ſola, ob DEI in ea ad nos loquentis omnibus tremendam colendamque majeſtatem, lucisque quæ ei ineſt claritatem, aſſenſum hac in re mereretur noſtrum, toties ea ſententiam noſtram firmat, *Abſit enim à pio pectore, ut cum* Maimburgio *Hiſtoire du Schiſme des Grecs Tom. I. pag. 126.* majorem hiſtoriis lucem tribuat, quam ſcripturæ S. *aut cum*

eodem

eodem circa hujus aſſerta ob eorum obſcuritatem in utramque partem diſputari poſſe *aſſerat. Aliud enim nos David docuit* Pſal XIX, 8. 9. teſtimonium Jehovæ firmum ac certum eſt, illuminatque oculos legentium.

quoties DEUM imperantibus regna & imperia dare docet, ut quando Joſephus Geneſ. XLV, 8. ad fratres ſuos dicit: *Non vos me miſiſtis huc, ſed DEUS, & poſuit me in patrem Pharaonis, & in Dominum domui ejus, & dominatorem in omni terra Ægypti*: itemque quando referre eos jubet Patri ſuo Jacobo, *quod DEUS ipſum poſuerit in Dominum omni Ægypto* v. 9. ſicut Pſal. CXIII, 7. 8. *Deum pauperem è pulvere elevare atque Principibus aſſociare* dicitur. (Jam verò Pharaonis indultu atque conceſſione Joſephus præfectus Ægypto fuerat, nec tamen is originem poteſtatis ſuæ acceptam ei fert,) quando item Moſes DEUM precatur, ut ipſe *Iſraëlitis aliquem, qui eos ſuum ad exemplum regat, præficiat.* Num. XXVII, 16. quando *David* 2. Samuel. VI, 21. 1. Paral. XXVIII, 4. itemque ejus filius Salomon 2. Paral. I, 8. 9. *regnum ſe à DEO accepiſſe* profitentur, qui omnes, cum vel Reges ipſi atque Principes, vel talibus à conſiliis fuerint, Politicorum Magiſtratuum Regiæque Poteſtatis originem optimè perſpectam habuiſſe cenſendi ſunt. Neque de piis ſolùm Regentibus ſcriptura id affirmat, ſed & de Ethnicis, atque à vero DEI cultu abhorrentibus, ut *Nimrodo*, qui Geneſ. X, 9. *robuſtus venator coram Domino* fuiſſe dicitur, (ſiquidem regnum ejus tyrannicum, nutu providentiaque DEI inſtitutum, verbis illis denotari cum *D. Varenio* atque Calviniano *Riveto* in h. l. affirmare velis, repugnan-

Rabbini, auctore R. Salom. Jarchi, *ex quo* Braunius *de veſtitu Sacerdotum Ebræorum c. IV. p. 87. id adducit, nugas, ut fere ſemper, & hic ſectantur, quando Nimrodum veſtes Adami pelliceas nactum venationi operam dediſſe, opeque earum negocium illud perquam feliciter perfeciſſe, quas cæſo Nimrodo Eſavus poſtmodum induerit, narrant. Idem ex R.* Elieſer *in Pirke cap. 24. obſervat* Dn. Wagenſeil, *oſtenditque ex perobſcuro loco Gemaræ in Avoda ſacra fol. 11. b. easdem Romæ adhuc ſupereſſe, & ſeptuageſimo quoquo anno publicè oſtendi ſolere.* Vide eum in Sota, *in excerptis Gemaræ capitis 1. n. 8. p. 340.*

tibus aliis in hunc locum Commentatoribus.) *Nebucadnezare* Jerem. XXVII, 6. Daniel II, 37. cap. IV, 18. (ubi Daniel in genere dicit: *dominari altiſſimum in regnis hominum, & tradere illa cui velit.*) c. V, 18. *Cyro* 2. Paral. XXXVI. verſ. ult. itemque

Eſdr.

Eſdr. I, 2. ubi *Cyrus omnia regna terræ DEUM cœli ſibi dediſſe* dicit, (*Herodoto* ſcilicet lib. I. p 107. ſeqq. itemque *Thucydidi* Hiſtor. I. aliisque, qui Cyrum ſolius vindictæ & dominatus cauſa Aſtyagem regno privâſſe aſſerunt, fidem ſi tribuere hac in re cum *Schurzfleiſchio* velis, de Medo-Perſar. initiis §. 6 ſeqq cujus tamē contrarium poſt alios defendit *Meldenſis Epiſcopus Boſſuetus*, dans ſon Diſcours ſur l'hiſtoire Univerſelle Tom. I. p.m. 68, quorum litibus memet non interpono.) *Alexander M.* cui שלטן poteſtatem, dominium, majeſtatem in terris ſupereminentem ac à nemine dependentem, (prout vocem illam *D. Gejerus* in Comment. ad h. l. pag. 527. explicavit,) cœlitus datam Daniel VII, 6. refert. Et uti beneficio ſolius DEI regna contingere ſcriptura aſſerit, ita & DEO ſolo auctore fieri, quod Reges imperiis exuantur, monſtrat; exemplo *Belſazaris* Daniel V, 28. *Salomonis* 1. Reg. XI, 11. pluriumque aliorum in Regum Iſraëlitarum hiſtoria paſſim obviorum. Unde *Siracides* c. X, 17. *ſedes imperantium deſtruxit DEUS, & conſtituit mites pro eis*: & *Daniel* in vaticinio ſuo c. II, 21. *ipſe mutat tempora & ætates, transfert Reges & conſtituit Reges, dat ſapientiam ſapientibus & ſcientiam intelligentibus diſciplinam*: (quemadmodum הוא ipſe, nec alius, tempora & ætates mutat, penes eum ſolum ſunt cunctæ temporum revolutiones ac viciſſitudines, ab eo ſolo qui petit, ſapientiam accipit *Jacob.* I, 17. : ita quoque ſolus DEUS is eſt, cujus potentia in potentiſſimorum orbis moderatorum immutatione eſt conſpicua.) Planè eximia ſunt ejusdem Danielis verba II, 37. quæ ad Regem Nebucadnezarem, ut poteſtatem ſuam mox à ſe auferendam non ab hominibus, ſed à DEO eſſe concluderet, dixit: *Tu ô Rex, es Rex Regum, & DEUS cœli regnum & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit Tibi.* Haud ſuperbus ſis Rex, *ſententia Danielis eſt*, quod Regem te Regum appellem; titulus namque hic Tibi competit, די eò, quod DEUS regnorum auctor atque arbiter, regnum & fortitudinem, (ſive robur, quo quis præ aliis ad magna expedienda inſtructus eſt, quodque immediatè à DEO heröa quem habere, negari nequit,) aliaque Regiæ Majeſtatis inſignia Tibi dedit: Probare enim Daniel vult, titulum, quem Nebucadnezari tribuit, rectè ei competere, ita ut ſimul doceat, quis ejus eminentiæ atque majeſtatis, quam acceperit &

rit & pòſt amiſſurus ſit, auctor atque arbiter ſit, poſtulaturusque aliquando adminiſtrati regni rationes. Quæ dicta omnia, quin eminenter ac modo perfectiſſimo, id eſt, ſic interpretanda ſint, ſicut DEUS in exemplis non eorum modo, quos ſuapte voce ductuque ſingulari ac extraordinario ad Regium munus deſtinavit ac formavit, ſed omnium deinceps per tot ſecula Regum, non minus efficaciter quam perſpicuè oſtendit, nullus dubito; quemadmodum & aliâs apud Logicorum filios ἀνάλογον, per ſe poſitum, principalius innuere pro canone habetur. Certè nervum atq; emphaſin dictorum horum qui conſiderabit, diligenterque quanta ſolicitudine ſibi DEus ſoli regnorum & conſtitutionem ac curam vindicet, expendet, næ fateri cogetur, gloriam dandi politicum Principatum atque regiam auctoritatem ad DEUM ſolum ἀμέσως referendam eſſe: Tum nec ex ſacro divinoque Codice exceptionem quandam aut reſtrictionem modò citatis dictis adjici debere conſtat, neque etiam ab iis, qui à nobis diſſentiunt, *DEUM mediante naturali hominum induſtria inſtituiſſe, ut eſſet poteſtas quædam ſupereminens, in populo ſemper radicaliter hærens*, edocti hactenus ſumus, quod pro fulcienda noſtra propoſitione argumentum, utut inficiale atque negativum ſit, firmum ſatis atque peridoneum eſſe, Theologi noſtri pluribus tum confirmant, quando nihil ad divinarum rerum motarumque circa illas controverſiarum ſalutarem notitiam neceſſarium oſtendi poſſe docent, quod non in ſcriptura, licet non adeo ſemper apertè atque expreſſè, reperiatur. Quod argumenti genus ingenuo etiam atque doctiſſimo Pariſienſi Theologo, *Johanni Launojo* probatum eſt, in libro quem *de negantis argumenti auctoritate* conſcripſit, & in quo plurima Patrum, Conciliorum, Scholaſticorum, aliorumque Doctorum Papæorum dicta pro ſe citavit: Quem quidē ſtatim ex quo prodiit, *Joh. Baptiſta Thierſius* Carnotenſis, Baccalaureus Theol. Pariſ. refutandum ſibi ſumſit, (vid. *Journal des ſçavans 1665.* p.m. 213.) ſed ipſe mox à Launojo in iterata libelli ſui editione Pariſienſ. 1662. parte 2. rurſus refutatus.

Diſplicuit etiam Launoji inſtitutum Natali Alexandro *Theologo Pariſienſi, & in Majori Conventu ac Colleg. Ord. FF. Prædicatorum Regenti; Unde cum Launojus in libello, quem* Venerandam Romanæ Eccleſiæ de ſimonia traditionem *inſcripſit, obiter de Thomæ Summa, quod Clemens VI. Opera ejus*

 lau-

laudans ac recenſens Summa tamen non meminerit, num ſcripta ab eo fuerit vi negantis argumenti dubitari poſſe diſſeruiſſet, Natalis Alexander *ex inſtituto* Summam, *ita libri titulus habet*, D. Thomæ vindicatam contra præpoſteram Launoji dubitationem *ſcripſit*, *oſtenditque eorum*, *qui Thomæ ſummam adſcripſerunt*, *auctoritatem atque aſſeverationem omni aliorum ſilentio potiorem eſſe debere.*

Huc etiam pertinent illuſtria *ſapientis Viri*, libri, cui *Sapientiæ* titulus, auctoris dicta, quum ſexto capite verſ. 3. inquit: *Data eſt vobis* (Regibus) ἡ κράτησις *poteſtas*, *à Domino*, *& ab Altiſſimo* ἡ δυναςεία *dominatus*, *qui exquiret veſtra opera*, *& cogitationes ſcrutabitur*, & iterum, cap. IX, 7. quando ſub Salomonis perſona ad DEUM dicit: *Tu elegiſti me Regem populo Tuo*, *& judicem filiorum Tuorum.* Jungenda ei, quæ *Jeſus* filius *Sirach Hieroſolymitanus* habet in ſuo *Eccleſiaſtico*, (quem eum ex ethicarum Salomonis ſcriptionum compilationibus concinnâſſe *Huetius* vult, in Demonſtr. Evang. p. m. 363. & 365.) c. X, 4. *In manu Domini* ἡ ἐξυσία τῆς γῆς, *poteſtas terræ*, *& utilem ſuſcitabit ille ad tempus ſuper eam.* c. XVII. 14. *Omnis homo à juventute ad mala*, *& non valuerunt corda ſua pro lapideis facere carnea*, *ſed in diviſione gentium terræ totius unicuique genti conſtituit*, (DEUS) *Ducem* ἡγέμενον. Ubi Siracides & neceſſitatem atque indigentiam ſocietatis humanæ, ut regeretur, indicat, ſimulque pro poteſtatis rectricis immediatè à DEO facta inſtitutione nobis argumentum ſuppeditat. Auctoritas verò horum hac in re ſuſpecta iis nequaquam eſſe poteſt, qui canonicam eam atque divinam, reliquisque in divino Codice extantibus libris parem eſſe *Concilij Tridentini* Seſſ. IV. effatum ſecuti pronunciant, quorum numerum *Huetius* quoque, ſtudiorum Sereniſſimi Delphini olim cum Boſſueto Moderator, & nunc Pariſiis Abbas Alnetenſis, in citato libro eruditiſſimo pag. 363. itemque 473. augére voluit, argumento motus hoc, quod Eccleſia Canonicos eos eſſe declarârit, quod & ſuum nuper fecit *Richardus Simon*, in audaci ſua atque κακοκρισίαις refertiſſima *Vet. Teſt. Hiſtoria Critica*, gallicè primum edita, & pòſt in latinum quoque verſa lib. I. c. 8. p. m. 61. ſtatuendum verò quid de eo noſtræ Eccleſiæ Doctores putent, ex *Gerhardi* noſtri *Exegeſi* L L. de ſcript. S. §. 101. ſeqq. pag. m. 44. & 45. liquet, plures enim allegare hominis eſſet tempori ſuo non parcentis.

§. 13.

§. 13. Non incommodè etiam ex Nov. Teſt. verba Servatoris noſtri, quæ ad Pilatum Tiberii loco atque vice in Judæa imperantem dixit: *Non haberes poteſtatem adverſus me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper*, Johan. XIX,11. à quibusdam huc referuntur: Sive enim verba hæc cum quibusdam ſpeciatim de Pilati poteſtate, adverſus accuſatum Chriſtum aliquid ſtatuendi interpreteris, ſive cum *Auguſtino* tractatu in Johannem CXVI. itemque *Claravallenſi Abbate Bernhardo* Epiſt. XLII. ad Archi-Epiſc. Senonenſem, in genere de Principum poteſtate cœlitus in ſubditos ipſis conceſſa accipias, nil refert, ſaltem enim Chriſtus poteſtatem Pilati in Judæos cœlitùs profectam ſimul innuere verbis his, aut ſupponere voluit. Sed ne quis exiſtimet, fuiſſe id ſingulare quid, atque tale, quod in exemplum trahi à nobis nequeat, ex ipſo dicto Petrino 1. Epiſt. c. II,13. (quod aliâs ſententiæ noſtræ opponi ſolet, ſicut infra ex ſecunda ſectione patebit,) maximè ex verbis διὰ τὸν Κύριον, *propter Dominum*, propter quem ſubjectos nos eſſe omni humanæ creaturæ debere Apoſtolus monet, egregium pro noſtra ſententia haberi argumentum poteſt, quippe iis ad Magiſtratus originem & auctorem, qui eſt *Dominus dominantium & Rex Regum* 1. Timoth. VI,15. Apoc. XVII, 14. XIX,16. tum ad ſubjectionis finem ultimum, qui eſt gloria DEI tanquam auctoris atq; inſtitutoris, reſpici patet, qui finis verò in inſtitutione ſeu *cauſatione* fundatus eſt, ceu præcedens coma clarè commonſtrat. Videatur, cui hæc debemus, Dn. Doctor *Schmidius* noſter ὁ δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς, in Colleg. Bibl. Poſter. p. 344. Sed en duo adhuc dicta ex largiſſimo DEI noſtri penu depromo, quæ omnem planè hac in re dubitationem jure nobis adiment, quorum alterum *Salomoni* in Proverb. VIII,15. debemus, *Paulo* Apoſtolo alterum ſcribenti ad Roman. c. XIII, 1. Prioris verba hæc ſunt: *Per me Reges regnant, & Dominatores decernunt juſtitiam, per me Principes habent principatum, & omnes judices terræ ſunt duces ſpontanei.* Pro certo autem ſumo, quod à Veteris Eccleſiæ Patribus, atq; Theologis excellentis memoriæ, *Tarnovio, Dorſcheo, Geiero, Calovio, Schmidio* aliisque, nec non ipſo *Bellarmino* atque *Suarezio*, contra Judæos, Socinianos aliosque ſufficienter defenſum, per ſapientiam, per quam regnare Reges dicuntur, perſonalem atque per ſe ſubſiſtentem ſapientiam, i. e.

Vide qui Bernhardum citat atque ſequitur Benignum Milletotum, *in Libertat. Eccleſ. Gallicana Tom. I. p.* 588.

Filium DEI ab æterno genitum intelligi oportere ; neque etiam illud moneo, Patrem ſanctumque Spiritum, ob eſſentiæ unitatem, ab opere hoc, omnibus tribus divinitatis perſonis communi, nequaquam excludendos eſſe, res cum nulli non Chriſtianorum nota ſit eſſeque debeat; ſed de particula Ebraica בי *primò* obſervo, eam, quum de DEO in ſermonibus ſuis enunciatur, fere ſemper notare immediationem cauſalitatis, neque vertendam eſſe *propter me*, ut quidem Chaldæus Interpres vertit, ſed *per me*, ut cauſa ſic Principatuum & efficiens, & conſervans indicetur, quandoquidem & conſtitutionem regnorum, & conſervationem, vocibus מלכים & שרים vel in ſtatu, ut loquimur, vel in ampliatione acceptis, intelligi poſſe, Interpretes obſervant. *Deinde* conferendo quartum atque decimum verſum, qui noſtrum præcedit, clarum fieri puto, ἀμέσως atque de ſolo DEO dici poſſe, quod per ipſum Reges regnent (* præſcindendo an bene vel malè regnent,) quoniam ita per DEUM Principes imperare dicuntur, ſicut conſilium ſibi & ſapientiam ſolidam eſſe Filius DEI dicit, nullibi verò niſi in ſolo DEO conſilium ſolidamque ſapientiam quæri poſſe, quis negabit ? Id quod & ex invitantis ſapientiæ ſcopo confirmari poteſt : Ea enim in octavo hoc Proverbiorum capite omnes homines ad ſe invitat, tanquam apud quam ſolam veram prudentiam & ſapientiam reperturi ſint, neque vulgus ſolùm, ſed, & quidem præcipuè, Reges atque Principes, qui ea cumprimis indigent : Quod ſi alibi, neque apud ſolam ſapientiam DEI hypoſtaticam illa inveniretur, nullius momenti foret invitatio. Vid. Dn. D. *Schmidium* in Colleg. Bibl. Prior. pag. 369. Tum & ipſius noſtri verſus connexio id urget, quum dicitur: *per me Reges regnant, & per me* (repetenda namq; eſt particula בי) *dominatores decernunt juſtitiam.* Quemadmodum igitur deciſio juſtitiæ immediata DEI inſtitutione atque præcepto nititur, ita etiam regnorum inſtitutionem eidem ſoli tribui oportere manifeſtum eſt. Adde, quod verſ. 22. 23. ſeqq. collat. cum Johan. I, 3. per hanc perſonalem ſapientiam, per quam Reges regnant, & judices imperant, mundus conditus dicatur, quin verò ἀμέσως atque à ſolo DEO conditus is ſit, nemo orthodoxorum ambigit, & vel ſolus Eſaias cap. XLIV, 24. & XLV, 18. con-

* *Ut Bellarminianæ objectioni adverſus Barclaium c. 12. §. 6. ſatisfiat.*

convincit. Illud denique me etiam non monente quivis facilè intelligit, ſermonem indefinitè conceptum, de *Regibus*, *Dominatoribus*, *Principibus*, nec non *de omnibus judicibus terræ*, quosvis imperantes, cujus etiam conditionis ſint atque fidei, eos etiam, qui dependens ab aliis imperium habent, includere, quò *Lutherus* noſter reſpexit, vertendo: **Durch mich regieren die Könige / und die Rahtherren ſetzen das Recht / durch mich herꝛſchen die Fürſten und alle Regenten auff Erden** / quod & *Petri* 1. Epiſt. II, 13. *βασιλεῖς κ̀ ἡγεμόνες κ̀ πεμπόμενοι* *Pauli* 1. Tim. II, 2. *βασιλεῖς κ̀ πάντες ἐν ὑπεροχῇ ὄντες*, nec non *Moſis* Deuter. XVI, 18. Schophetim & Schoterim, (de quibus D. *Carpzov.* in notis ad Schickhardi jus Regium c. IV. p. 241. & quo is præceptore uſus eſt, *D. Schmidius* noſter in Coll. Bibl. Prior. p. 372. & 375. videndi,) ſatis ſuperque indicant. Patrum interpretationes nobiſcum conſentientes adduxere alii, & infra etiam *Concilij Pariſienſis* decretum nobis conſonum occurret. Audiamus nunc & *Paulum*, qui ita de Magiſtratûs poteſtatis origine l. c. diſſerit: *Non eſt poteſtas*, *ὀ γάρ ἐςιν ἐξȣσία, εἰμὴ ἀπὸ θεȣ̃*, *niſi à DEO, quæ verò poteſtates ſunt, à DEO ordinatæ ſunt, itaque qui poteſtati reſiſtit, DEI ordinationi reſiſtit.* Quanto quæſo ſtudio Apoſtolus id agit, ut oſtendat poteſtatis Civilis in abſtracto conſideratæ, qua quivis & majoris & minoris ordinis Magiſtratum gerentes pollent, originem cœleſtem eſſe, ſicque Chriſtianos Romæ ſeverè vexatos commonefaciat, non eſſe, cur forte juxta corruptæ ac depravatæ hominum naturæ placita, Ethnico ſevereq; atque impiè regnanti Imperatori, ejusque Miniſtris obedientiam recuſare velint? Si *ἐξȣσία πᾶσα*, non eſt, *εἰμὴ*, *niſi* à DEO, à ſolo DEO atque *ἀμέσως* omnes omninò, de quibus *τὴν ἐξȣσίαν ἔχειν* dici poteſt, imperantes poteſtatem habere ſuam neceſſe eſt. *Illud enim εἰ μὴ*, ut rectè D. *Calovius* in Theologia Apoſtol. Rom. ad h. l. p. m. 444. *negat omnem aliam cauſam agentem ſeu agendi principium, quandoquidem abſolutè poſitum abſolutè accipiendum ſit.* Particula certè *ȣ̓κ* & *εἰμὴ*, totiesque facta repetitio, gloriæ hujus regna imperiaque conferendi ac diſtribuendi, participem eſſe neminem permittit, ſoli contra DEO, excluſis reliquis omnibus, jure vindicat. Egregiè etiam argumentum hoc urget *Benignus Milletotus* du delict commun, *in Libert. Eccleſ. Gall.* Tom. I. pag. 575. quem vide,

Sicut & verſio Gallica, quæ Montenſis *appellatur*, *Joh. XVII, 12.* τὸ εἰμὴ *vertit*, nul d'eux ne s'eſt perdu, mais celuy là ſeulement qui eſtoit, &c. *quod contra Malletium defendit auctor* de la Continuation de la nouvelle Defenſe *&c.* contre Monſr. Maller, *lib. 8. c. 4. p. 136. ſeqq. Recteque etiam noſtrarum partium Theologi ex Galat. II, 16, ubi æquipollens particula* ἐὰν μὴ *habetur, Lutheri noſtri verſionem Roman. III, 28.* Sola fide, allein durch den Glauben *juſtificant*, *uti Lutherus etiam ſemetipſum jam defendit Tom. V. Altenb. p. 268 ſeqq. Neque* Maimburgius, *& qui exſcribere eum ſolet* Malletius *cauſæ habent, cur auctori verſionis Gallicæ Montanæ exprobrent, ſentire eum* ſola fide hominem coram DEO juſtificari, *ob verſionem dicti Rom. VI, 16. uti nec minori impietate auctor ſcripti, cui titulus:* Defenſe du N. Teſt. imprimé à Mons, contre les ſermons du P. Maimbourg *p. 321. itemque* Continuation de la nouvelle defenſe, *lib. 10. c. 6. pag. 378. liberando ſe ab illa, quam putat calumnia, hæreſeos ſententiam illam accuſat. Miror de cætero, ut obiter hoc addam,* Maimburgium *in Hiſtoir du Luther. Tom. I. lib. 1. p. m. 78. &* Simonem *in ſua Hiſtoria Critica lib. II. c. 23. pag. 374. veteres ſat multumque jam à noſtris protritas, de verſionis Lutheri Germanicæ vilitate ac falſitate querelas nuper repetiiſſe, quos ipſos tamen idiomatis, quo ea quam elegantiſſimè, Maimburgio non diffitente, expreſſa eſt, gnaros non eſſe conſtat, vel ſaltem vero haud abſimile eſt: Mirari tamen deſino, quando perpendo, perpetuum* Maimburgii *& aliorum innumerorum errorem eſſe, ut ſua tantùm ſententia homines æſtiment, cœteros loco habeant nullo aut parvo: Hoc verò dum paulò accuratius animo volvo, oppido injuriæ recordor, qua* Maimburgius *noſtrum* Sleidanum *in Hiſt. du Luther. Tom. I. lib. 3. pag. 234. & Tom. II. lib. 5. p. 138. fidem ei omnem derogando affecit,* Laurentium Surium, *quem & citavit, ſecutus, de quo tamen conſtat, hoſtem eum Sleidani infenſiſſimum fuiſſe, & obinde ex merito caſtigatum à* Friderico Hortledero *in Actis Publ Epiſtol. Dedicat. edit. Francof. 1618. Forte tamen & Maimburgium malè habet, quod Sleidanus in urbe hac ſcripſerit mortuuſque fuerit,* quam præ reliquis conſtanter ſemper Lutheraniſmo addictam fuiſſe, & adhucdum eſſe, *Tom. II. lib. IV. pag. 10. ſuæ Lutheraniſmi Hiſtoriæ ſcripſit. Ubi verò Maimburgio in memoriam revocare liceret, quod ipſe Cardinali Baronio in* Hiſtoire de la Decad. de l'Empire *lib. II p. 116. ſatis ſalsè regeſſit*: Tant il importe à celuy, qui écrit l'hiſtoire, de prendre bien garde, à parler conſequemment, & à ne pas juger des choſes ſelon qu'elles ſont ou plus, ou moins conformes au ſentiment, ou plutoſt à la préoccupation, qu'on veut avoir. *Æquiores multò erga Sleidanum ſunt* Bodinus *&* Thuanus, *uterque Gallus & Romanæ*

mana Eccleſiæ ſacra profeſſus, *ille in Method. Hiſtor. c. IV. pag. 67. hic Tom. I. Hiſt. lib. II. pag. 38. ubi ſe* ejus fidei & diligentiæ multum tribuere, *& eod. Tom. lib. XVII. p. 542. ubi* exacta *eum* fide atque diligentia hiſtoriam pertexuiſſe *ſcribit. Prudenter verò cavit Maimburgius, ne hoc in negocio Thuanum ſequeretur, (uti & aliâs parcè admodum in ſua Lutheraniſmi Hiſtoria eum citavit,) ut ſcilicet* Macaldi, Cornæi, Foreri, Erbermanni, *aliorumque Jeſuitarum iram atque indignationem evitaret, qui neſcio cujus hæreſews atque mendacij Thuanum accuſarunt; cujus tamen fidem atque religionem adverſus Macaldum Curiæ Pariſienſis Senatores acri admodum* Apologia *pro Thuano A. 1620. edita, hujusque Hiſtoriarum libris ſubjecta defenderunt: Quod idem contra alios Parlamenti Toloſani Præſes* Gabriel Bartholomæus Gramondus *fecit, in hiſtoria ſua Gall. Regi Ludovico XIV. inſcripta, & cum hujus privilegio Toloſæ A. 1643. edita, lib. III. p 191. cui ipſi tamen, quod in ead. Hiſtor. lib. III. p. 197. adverſus Societatis Jeſu ſodales, eorumque Scholas atque Collegia ſcripſit, ab his vix credo condonabitur.*

Sed non inhærebo pluribus dictis citandis, partim quia omnium inculcantur libris, partim quia ſelectiſſima illa teſtimonia, quæ adſcripta modò abs me ſunt, ſufficiunt.

§. 14. Dicta Scripturæ excipiunt illuſtria Magiſtratûs elogia in eadem paſſim obvia: ut quod Pſalm. LXXXII, 6. *Dij* imperantes audiunt ac *filij altiſſimi*, conf. Exod. XXII, 28. quod ad Moſen à DEO dicitur Exod. IV, 16. *Tu eris ipſi*, Aaroni *in DEUM*, &c. VII, 1. *Ecce conſtitui Te DEUM Pharaonis.* Ideo enim hoc eos DEUS titulo dignatur, quia munus gerunt divinum, & à DEO ἀμέσως petendum; quo nomine etiam Christus ſapientiſſimus Verbi ſui Interpres apud Johannem X, 35. ait: *Si illos* (lex divina Pſalm. LXXXII, 6.) *dixit Deos, ad quos ſermo DEI factus eſt*, eam ſcilicet ob cauſam ſermo DEI ad Magiſtratus factus dicitur, quia inſtitutio atque vocatio eorum divina eſt atque ἀμέσως à DEO venit: perinde ut ad Prophetas munus prædicandi atque docendi ἀμέσως, ac à ſolo DEO habentes factum eſſe verbum DEI in vaticiniis eorum legitur. Neque illi nobis adverſantur, qui inde imperantes Deos vocari autumant, quod DEI in his terris vices gerant, judiciumque non ſuum, ſed DEI exerceant 2. Paral. XIX, 6. quia & qui vice atque loco alterius imperat, ἀμέσως ac non niſi à ſummo imperante, cujus vices tenet, habere imperium illud poteſt. Unde forte

Præclarè de hoc & præter morem ſcripſit Ludovicus Cappellus, *in Append ad Critic. S. de nomine Elohim cap. 5 p. 672. edit. Pariſ.*

te

te non incommodè, quando Apoſtolus ad Romanos ſcribens XIII, 4. ſeqq. Magiſtratum ter διάκονον atque λειτουργὸν *miniſtrum* appellat, itemque quando Sapient. VI, 5. Magiſtratus ὑπηρέται τῆς τοῦ θεοῦ βασιλείας vocantur, dici poterit, Reges atque Principes aliosque imperantes eſſe tantùm regnorum adminiſtratores, Amptleuthe deß Reichs Gottes / ut Lutherus Sapient. VI, 5 vertit, qui non tam imperent, quam videantur imperare, ſicut quidam verba Chriſti Marc. X, 42. δοκοῦντες ἄρχειν huc referunt, ut tamen majorem ſe, DEUM, cujus loco imperium tenent, ſi excipias, agnoſcant neminem. Idem argumentum, quod Magiſtratus, Dii appellentur, in hac materia urſit *Leonhardus Stampeſius* Carnotenſis Epiſcopus, in Cenſura, quam contra peſtilentes quorundam anonymorum adverſus Ludovicum XIII. Regnique Galliarum Adminiſtros Richelium, Schombergium &c. in vulgus emiſſos libellos, juſſu Cleri Gallicani 1625. compoſuit. Vid. *Grammond.* Hiſtor. Gall. lib. XV. p. 636.

Piè ut ſolet Lutherus noſter in Pſalm. LXXXII, Tom. V. Altenb. pag. 279. a. Moſes nennet ſie aber Götter auß dem Grunde / daß alle Aempter der Oberkeit / vom geringſten an biß zum höchſten / GOttes Ordnung ſind. Weil es nun nicht auß menſchlichem Willen oder Fürnehmen kompt / ſondern GOTT ſelbſt alle Oberkeit ſetzet und erhält / und wo Er nicht mehr hält / da fällets alles dahin / wann gleich alle Welt daran hielte / darumb heiſſet es billig ein Göttlich Ding / Göttliche Ordnung / und ſolche Perſonen auch billig Göttiſch / Göttliche / oder Götter genennet werden / ſonderlich wo über das Einſetzen auch Göttlich Wort vnd Befehl darzu kommet / wie im Volck Iſrael die Prieſter / Fürſten / Könige / wurden durch mündlichen Befehl und Wort GOttes beſtellt.

§. 15. Scripturarum auctoritati ſuccedat jam pondus rationis: Ac primò quidem conſtat, hominem homini poteſtatem dare poſſe, ut ſuo ſubjectivè loco imperet: at ut ejus loco regat, qui ſibi non ſubjiciatur, minimè dare poteſt: Sic Rex Princepsque poteſtatem dare cui poteſt, ut ſuo loco regnum aut Rempublicam adminiſtret, illud verò dandi impoſſibile ipſi eſt, ut in alterius alicujus Regis atque Principis, qui ſibi ſubjectus non eſt, imperio aliquem conſtituat, qui Regis illius, ad quem rerum ſumma pertinet, vices gerat: Atqui verò DEUS potentiſſimus rerum omnium arbiter, homini nequaquam eſt ſubjectus, ſed homo

DEO

DEO, non igitur hominum, ſive ſingulos ſpeciatim intelligas, ſive quatenus multitudinem aliquam conficiunt, ſed ſolius DEI eſt dare, ut quis imperet loco DEI, ſicut Reges atque Magiſtratus quosvis imperare ſupervacaneum eſſet, ſi demonſtrare laborarem: Deinde & illud certum eſt ac unicuique manifeſtum, populum à natura inclinationem habere, paſſivè, ut ita loquar, regibilem ac gubernabilem, quum natura rationalis ac ſocialis dictitet hominem naturâ ferri ad ſocietatem, nullamque ejusmodi ſocietatem ſine imperio & ſubjectione conſtare poſſe: *Ubi enim non eſt gubernator corruit populus*, ut Vulgata habet Proverb. XI, 14. (nam in Ebræo eſt: *Cum non fuerint Conſilia corruet populus.*) & Moſes Num. XXVII, 7. comparat cœtum rectore deſtitutum cum grege ovium Paſtore carente; voti jam ſi ſui pòpulus rectiva poteſtate deſtitutus compos reddi debet, DEI id ope fieri neceſſe eſt, qui tacitam illam populi poſtulationem Regibus poteſtatem largiendo exaudiat. Ex collatione etiam duarum poteſtatum, quam Eccleſiæ Miniſtri habent, & quæ Magiſtratui competit, conficitur, poſteriorem æquè à DEO ἀμέσως inſtitutam eſſe atq; priorem, paremque omninò utriusq; hac in re eſſe rationem. Vide qui eam accuratè, reiq; quam tracto convenienter inſtituit, Illuſtrem Pariſienſium olim Archi-Epiſcopum *Petrum de Marca*, in erudito doctisque paſſim laudato libro de Concordia Sacerdotii & Imperii lib. II. capite ſecundo integro pag. 53. ſeqq. Præivit Imperator *Juſtinianus*, cujus hæc ſunt verba initio *Novellæ VI. Maxima quidem in hominibus ſunt dona DEI à ſuperna collata clementia, Sacerdotium & Imperium; & illud quidem divinis miniſtrans; hoc autem humanis præſidens, ac diligentiam exhibens; ex uno eodemque principio utraque procedentia humanam exornant vitam.* Juvatque hîc recordari controverſiæ, inter Romanæ atque Gallicanæ Eccleſiæ Theologos magna ſemper cum contentione agitatæ: *Num Epiſcopi auctoritatem ac poteſtatem ſuam ἀμέσως à DEO habeant?* quæ Doctorum Gallicanæ Eccleſiæ ſententia eſt, DEIque verbo exactè conformis. (*) Vid. *Petrum de Marca* de Concord. Sac. & Imp. Tom. I. lib. I. c. 2. num. 4. pag. 7. & Tom. II. lib. VI c. 1. p. 58. & ex quo illum plurima in opere illo mutuatum eſſe, *Lucæ Holſtenii* aſſertum fuit *M. Antonium de Dominis*, de Republ. Eccl.

(*) *Adde* Antonium Hotmannum, *qui habetur Tomo I. Libertatū Eccleſiæ Gallicanæ p.* 317, 318, 319.

lib. 2. c. 5. ſeqq. pag. 157. *Num verò*, ut Romanæ Curiæ aſſentatores perversè docent, *per Pontifices Romanos eam Epiſcopi obtineant*, *ita ut ſedes Apoſtolica Romana fons & radix ſit*, *unde Epiſcoporum auctoritas emanet?* Ubi laudandus omninò eſt in hoc negocio Zelus *P*rocerum Gallicanæ Eccleſiæ, qui ſuæ,quam à Chriſto immediatè habent, auctoritati adverſæ opinioni nunquam non animosè obſtiterunt, ſicut factum maximè in *Concilio Tridentino*,à Cardinalibus Lotharingo atque Caſtilianæo, pluribusque aliis, etiam gentis Hiſpanicæ atque Germanicæ Epiſcopis ac Doctoribus, teſte *Petro Suave Polano* in Hiſtoria Concilii illius multis in locis,cumprimis lib. VII. p. 661. ſeqq. & 709. ſeqq. &c. cujus narrationem hac in re adverſus *Scipionis Henrici* Cenſuram defendit *Heideggerus* in Anatome Concil. Trident,Part. 2. p. m. 879. ſeqq. Et nuper etiam unanimi conſenſu Pariſiis menſibus Martio ac Majo Anno 1681. congregati Gallicanæ Eccleſiæ Antiſtites, contrariam ab *Innocentio XI.* moderno Pontifice Bullarumque ejus defenſoribus, ſub anathematis fulmine,occaſione Monialium ſeu Canoniſſarum Regularium Monaſterii loci de Charonne, nec non libri à Johanne Gerbaſio Anno 1679. Pariſiis de *Cauſis Majoribus ad caput Concordatorum de cauſis* editi, propoſitam ſententiam rejecerunt, criminique hæreſeωs ſibi impacto, Apoſtolicum oraculum Actor. XX, 28. *Attendite vobis & univerſo gregi*, *in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam DEI*,oppoſuerunt. Vid. *Procez verbal de l'Aſſemblée extraordinaire de Meſſeigneurs les Archevéques & Evéques tenuë en l'Archevéché de Paris aux mois de Mars & de May 1681.* p. 37, 46, 59, 61. & adde *le ſermon preſchè a l'ouverture de l'Aſſemblée du Clergé de France, par* Jaques Benigne Boſſuet *Evèque de Meaux*,pag. 22.& 26. ſed hæc per occaſionem atque in tranſitu.

Imitati ſic fideliter majorum ſuorum exempla, *quæ & loco citato allegârunt*, *qui ab Anno 1429. variis in occaſionibus doctrinam hanc*, *contrariâ ei acriter impugnatâ*, *defenderunt*, *teſteſque ejus erunt*, *quorum libri Pontificum ſententiæ faventes*, *Facultatis Theologicæ Pariſienſis cenſuræ ſubjecti fuére*, Bonaventura Chaſſaing, *Anno 1650. X. Decembr.* Johannes Bagot *Jeſuita 1655.* Jacobus de Vernant, *Anno 1664. d. XXIV. Maij*; *notatuque digna ſunt verba Cenſuræ libri Jacobi de Vernant:* Hæ propoſitiones,quarum duæ priores aſſerunt, Apoſtolos non fuiſſe conſtitutos Epiſcopos à Chriſto : Cæteræ

verò

verò, poteſtatem jurisdictionis ipſorum non eſſe immediatè à Chriſto, falſæ ſunt, verbo DEI contrariæ, olim à ſacra facultate reprobatæ. *Verba equidem hæc* Alexandrum VII. *adeo pupugerunt, ut Bullam obinde contra Theologicam Pariſienſem Facultatem ediderit ſatis acerbam, quam verò accuratè examinârunt Conſilij Regij, quod Pariſiis eſt, Aſſeſſores, in ſcripto quodam, (quod Anno 1667. Monaſterij cum alijs raris ac curioſis in libro quodam Gallico :* Recueil de diverſes Pieces pour la Defenſe des Cenſures, *conjunctim typis eſt expreſſum,) ſub titulo :* l'Advis de Meſſieurs les Gens du Roy du Parlement de Paris, ſur un Bref du Pape du 6. Avril 1665. contre la Cenſure, que la Faculté de Theologie avoit faite du livre de Jaques de Vernant & de celuy d'Amadeus Guimenius. *Auctor tamen libelli, qui nuper comparuit :* Critique Generale de l'Hiſtoire du Calviniſme de Monſieur Maimbourg, *p. m. 143. his inſuper habitis, πράξιν Epiſcoporum Galliæ huic eorum doctrinæ adverſari, conatur oſtendere, quam bene, alij me rectius judicabunt.*

Dubito porro valde, num magis quid appoſitè pro hac ſententia illuſtranda reperiri poſſit, quam, (ſi quidem ea immutaveris, & ad Principum poteſtatem accommodaveris,) quæ Celebris Romanæ ſedis Cardinalis *Robertus Bellarminus*, de papalis Poteſtatis collatione ſcripſit, lib. 2. de Roman. Pontif. cap. 17. quæ ita concepta ſunt : *Obſervandum eſt, in Pontifice eſſe tria : Pontificatum ipſum, qui eſt quaſi forma quædam ; Perſonam quæ eſt ſubjectum Pontificatus, & conjunctionem unius cum altero. Ex quibus rebus prima, hoc eſt, ipſe Pontificatus à ſolo Chriſto eſt, perſona ut eſt perſona electa & deſignata ad Pontificatum eſt ab Electoribus : Illorum eſt enim deſignare perſonam : Ipſa vero conjunctio eſt à Chriſto mediante actu humano Electorum : dum enim eligunt & deſignant certam perſonam, concurrunt ad conjunctionem Pontificatus cum illa perſona.* Neque ineptè aut præter rem argumentantur, qui vel ob id contrariam ſententiam de Civili poteſtate, vel à Populo, vel à Pontifice Romano dependente, non admittendã ſuadent, quod infinitis malis atq; turbis cauſam dederit hactenus, & dare etiamnum poſſit, uti & infra in ſect. II. tragœdiæ quædam ex doctrina illa derivatæ conſpectui noſtro ſeſe exhibebunt ; Ut non abs re ſcripſerit *Petrus de Marca* de Concord. Sac & Imp. Tom. I. lib. II. cap. 2. pag. 58 b. *ſententiam illam libertatem Regum aliquo pacto imminuere, dignitatem violare, factionibus vires ſubminiſtrare.* Negant quidem *Bellarminus* atq; *Suarezius*, tale quid ex doctrina ſua emanare; ſed utriq; os obſtruxit

Nihili eſt diſcrimē, quod Azorius *Inſtit. Moral. part. II. lib. X c. 2. p* 1020 *hic fingit.*

xit *M. Antonius de Dominis*, (quem *Lutheraniſmum adverſus auctoritatem Vicarij JESU Chriſti in terris renovâſſe & ſuſtenâſſe*, abs re queritur *Maimburgius*, Hiſtoire du Luther. Tom. I. lib. I. pag. 71. verbo quippe DEI ſatisfultum, neque ope Calviniani & Apoſtatæ indigentem) illi *de Republ. Eccleſ.* lib. VI. c. 2. n. 36. ſeqq. p. 534. huic *in oſtenſ. error. ejus* c. 3. n. 10. Plures alias rationes, quarũ multas apud D. *Hulſemannũ* in Manual. Aug. Conf. Diſp. XIV. p. 616. ſeqq. reperies, ne prolixus nimis ſim, prætereo.

§. 16. Sequitur, ut quæ Veteris Eccleſiæ Doctorum, qui recentes ab Apoſtolorum atque Apoſtolicorum Virorum diſciplina, eorum præſcripta & intelligebant melius, & perfectius implebant, hac de re mens fuerit, exponam; Quos verò aliter atque nos docuiſſe non reperimus, eſtque abundè quod de eorum conſenſu gratulari nobis poſſimus. Non adducam magnam ab iis hanc in rem dictorum copiam, neque etiam paginarum id anguſtia permittit, pauca verò quæ citabo, ejusmodi erunt, ut nulli niſi frivolæ exceptioni ſint futura obnoxia. Agmen ducat piiſſimus Antiochenorum Epiſcopus *Theophilus*, qui tres libros ad Autolycum ſcripſit adverſus Chriſtianæ religionis calumniatores, & in quorum primo, pag. in orthodoxogr. 291. hæc habet verbr: ὁ βαβιλεῦς ὑπὸ τοῦ θεοῦ γέγονεν, & mox eum vocat ἄνθρωπον ὑπὸ θεοῦ τεταγμένον; rationem quoque ſubjungit, τρόπῳ γάρ τινι παρὰ Θεοῦ οἰκονομίαν πεπίστευται. Non aliam hanc circa rem regulam tenuit, qui ſub eadem cum Theophilo, ſecunda ſcilicet ab Apoſtolis ſucceſſione floruit, ſanctiſſimus martyr *Irenæus* Lugdunenſis Epiſcopus: Is lib. V. adverſus hæreſes, cap. XX. atque XXIV, ubi docet non à Diabolo, ſed à DEO conſtitutas eſſe terrenas poteſtates, hoc idem aliquot teſtimoniis ex veteris pariter atque novi Teſtamenti ſcriptura allatis, Proverb. VIII, 5, c. XXI, 1. Roman. XIII, 1. probat, poſtremoque ſubjicit: *Cujus enim juſſu homines naſcuntur, hujus juſſu & Reges conſtituuntur.* Neque aliter *Tertullianus*, primus inter Latinos Patres ſcriptor, qui aliquot poſt annis ſub Severo vixit, in Apolog. cap. 30. fol. 59. *Inde eſt Imperator, unde eſt homo antequam Imperator, inde poteſtas illi unde & ſpiritus*; & paulò ante: *Sciunt*, (Imperatores) *quis illis dederit imperium, ſciunt quà homines, quis & animam: ſentiunt eum DEUM eſſe ſolum, in cujus ſolius poteſtate ſunt.* Confer etiam cap. 33. fol. 61. & alibi in Apologetico paſſim.

paſſim. Idem in libello ſupplici, quem ad Scapulam Africæ Provinciæ Præſidem, (qui quis fuerit ? vid. *Baron.* ad an. 203. num. VII. Tom. II. Annal. pag. 370.) quò violentos illius impetus ſiſteret ſævitiamque retunderet, ſcripſit cap. 2. fol. 88. ex omnium tum viventium Chriſtianorum mente ait : *Colimus Imperatorem ſic, quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, ut hominem à DEO ſecundum, & quicquid eſt à DEO conſecutum, & ſolo DEO minorem, ſic enim omnibus major eſt, dum ſolo DEO minor eſt.* Verum id eſſe, quod modo *Tertullianus* de Chriſtianorum veterum hac in re ſententia ſcripſit, *Dionyſii Alexandrini* reſponſio præfecto Æmilio data præclarè oſtendit : *Nos unum DEUM omnium rerum opificem, qui Valeriano & Gallieno* θεοφιλεστάτοις, *ſacratiſſimis Auguſtis imperium tradidit*, βασιλείαν ἐγχειρήσαντα, (nullo interjecto medio ipſe eorum manibus ſceptrum tradidit, **er hat es ihnen ſelber in die Hände geben /** ut noſtri Germani loquuntur,) *columus & adoramus*, apud *Euſeb.* Hiſtor. Eccl. lib. VII. cap. II. pag. 258 eodem fere loquendi modo, quo in præfatione *Pariſienſ. Synod.* Tom. XXI. Concil. Pariſ. p. 155. dicitur : *Cum igitur hæc ita fideliter ſe habeant, & liquido pateat, Eccleſiam, quam Chriſtus, qui eam ſuo proprio ſanguine redemit, ſuisque orthodoxis famulis Hludovico & Hlothario glorioſis Auguſtis, regendam tuendamq; committere occulta ſua diſpenſatione voluit &c. iidem DEO pleni principes cœlitus inſpirati &c.* Ejusdem opinionis fautor fuit *Epiphanius* Salaminis in Cypro Epiſcopus, qui hæreſi XX. vel XL, quæ eſt Archonticorũ Tom. I. Opp. p. 294. *edit. Petav.* inquit : διάκονος γὰρ (ἡ ἐξουσία) ἐστὶν εἰς αὐτοῦ τοῦτο ἐκ θεοῦ τεταγμένος τῷ τὸ κακὸν πράττοντι. καὶ ὁρᾷς ὡς ἡ ἐξουσία αὕτη ἡ κοσμικὴ ἐκ θεοῦ τέτακται καὶ μαχαίρας ἔλαβε τὴν ἐξουσίαν ; οὐκ ἀλλαχόθεν δὲ ποθὲν ἀλλ' ἐκ θεοῦ. Eandem in ſententiam colligi multa adducique poſſunt, ex *Ignatio*, *Origene*, *Auguſtino*, *Optato Milevitano*, *Iſidoro Peluſiota*, *Gregorio Turonenſe*, *Iſidoro Hiſpalenſe*, aliisque, iis cumprimis, qui in tertium atque decimum *Romanorum* caput commentati ſunt, *Ambroſio*, *Chryſoſtomo*, *Hieronymo*, *Theophylacto*, *Oecumenio &c.* ſed mihi in præſens eos nominâſſe ſufficiat, maximè *Auguſtinum*, cujus religio quemadmodum magni æſtimanda eſt, ſic pietas ac prudentia, quam oſtendit ſæpè aliâs, nunc à nobis, & præcipuè in hoc argumen-

gumento non minoris fieri debet, quam præclaro, Gallorumque eruditis in *Journal des Sçavans*, An. 1666. d. XV. Martii, impensè laudato opere, *de Civitate DEI*, ſubinde ac luculenter eſt teſtatus. Sed oblitus pene eſſem *Gregorij M.* infimo haud quaquam loco ponendi. Is uti multa huc facientia paſſim in epiſtolis ſuis habet, tum digna præ aliis videntur, ut huc tranſcribantur, quæ lib. 2. Epiſt. 38. ad Imper. Phocam ſcribit: *Gloria in Excelſis DEO, qui ſecundum quod ſcriptum eſt, mutat tempora & transfert regna, - - benignitatem pietatis veſtræ ad Imperiale faſtigium perveniſſe gaudemus*: & in Epiſtol. 62. ad Mauritium Auguſtum Phocæ Anteceſſorem, *poteſtatem huic in omnes homines cœlitus datam* ſcribit, item lib. 4. ind. 13. Epiſt. 32. *Piiſſimus atque à DEO conſtitutus Dominus noſter &c.* Eò autem minus dicta hæc Gregorii omitti debebant, quò pluris auctoritas ejus jam olim in Eccleſia Romana & imprimis apud Gallos æſtimari conſuevit, quo de *Fileſacum* Pariſienſem Theologum vide, de ſacra Epiſcop. auctoritate fol. 8. & 9. edit. Pariſ. 1606. & adde, qui Gregorii obſervantiam erga Mauritium commendat, (*) *Maimburgium* in Hiſtoire du Luther. Tom. I. lib. 2. p. 190. Jungi Gregorio M. poteſt *Thomas de Aquino* Doctor dictus Angelicus, (ſi quidem dignus, qui illuſtri ſanctiſſimorum Patrum nu-

(*) *Confer etiā, unde Maimburgius id habet*, les Traitez des Droits & Libertez de l'Egliſe Gallicane, ſive Tomū I. Libert Eccleſ. Gall. p. 453.

Auch iſt von dieſer Zahl/in ſimili negocio *Lutherus* noſter ait Tom. I. Altenb. pag. 708. a. der heilige Thomas von Aquino, iſt er anders heilig / dann ich zweiffel faſt daran / dieweil man ſo gar keinen Geiſt an ihm ſpühren und riechen kan.

mero ac cohorte gaudeat,) cujus non minor in Romana Eccleſia veneratio eſt atque ipſius *Auguſtini*, uti ex Janſeniano certamine, edictis regiis (quæ habentur in *Journal des principales Audiences du Parlement*, edit. Pariſ. 1678. Tom. II. lib. 6. c. 29. pag. 667. ſeqq. uſque ad 691. ubi pag. 672. digna cumprimis eſt Nobiliſſimi *Taloni* Advocati Generalis, contra Alectenſem Epiſcopum Regio edicto ſubſcribere recuſantem, diſſertatio pro jure Regis circa ſacra, quæ diligenter legatur,) Anno 1664. proſcripto, necdum tamen penitus ſopito, abundè patuit. Noſtræ autem ſententiæ Thomam hac in re accedere, ex B. noſtri *Dorſchei* libro, quo Thomam in multis fidei capitibus veritatis confeſſorem fuiſſe oſtendit, annoque 1656. Francofurti typis commiſit, ſect. 1. l. §.

6. pag.

6. pag. 75. diſcere illi poſſunt, qui hæc forte ignorant: Defenſionem verò Dorſchei Celebri Hamburgenſium Theologo *Reiſero* debemus, qui in vindiciis ſuis Evangelico-Thomiſticis contra *Thomam Leonhardi* & *Albertum Zennerum*, pag. 140. ſeqq. Dorſcheo non tantùm præclaram opem hoc in capite tulit, ſed & plura obſervatu non indigna theſinque noſtram egregiè tuentia adduxit. Quæ verò ex libro *de regimine Principum*, qui Thomæ vulgò tribuitur, & hoc nomine ab *Azorio* Inſtit. Moral. Part. II. lib. IV. cap. 19. pag. 479. ſeqq. & lib. X. c. 2. pag. 1019. ſeqq. edit. Lugdun. 1616. (quo impudentiorem ſententiæ noſtræ hoſtem præter *Carrerium* non legi,) paſſim citatur, adduci vulgò ſolent, Thomæ non eſſe, ipſe *Bellarminus* de ſcriptoribus Eccleſiaſticis pag. 254. concedit, & rectè etiam à *Guil. Barclaio* de Regno & Regali Poteſtate adverſus Monarchom. lib. 6. p. 490. obſervatum eſt. Thomæ verò non adverſabuntur vel ſaltem non adverſari deberent, qui doctrinam ejus vi conſtitutionum ſuarum ſequi tenentur, uti de *Dominicanis*, *Capucinis*, (quos impensè *Baluzius* laudat, adeò, ut illo *hominum genere an melius aliquid aut ſanctius ſit ſe neſcire* ſcribat, in Epiſtola de vita Petri de Marca, quæ hujus Operi de Concord. Sac. & Imp. præfixa eſt, p. 12. a.) atq; *Carmelitis* conſtat, cumprimis de *Jeſuitis*, quibus *in Conſtitutionibus Illuſtr. Societatis Jeſu*, part. 4. c. 14. §. 1. injungitur: *Legatur doctrina ſcholaſtica D. Thomæ*; & in Congreg. General. can. 9. *Sequantur noſtri DD. in Theologia Scholaſtica doctrinam S. Thomæ, nec deinceps ad cathedram Theolog. promoveantur, niſi qui D. Thomæ doctrinæ bene affecti fuerint: Ab ea verò alieni docendi munere repellantur.* Ex his verò omnibus Patrum teſtimoniis, quæ produximus, Chriſti & Apoſtolorum doctrinam de ἀνυπευθυνία imperantium confirmantibus, Reges Principesque quosvis, tam bonos quam malos, immediatè à DEO eſſe conſtitutos, omnique quoad homines pœnarum metu ſolutos, conſtare certum eſt. Neque apud Græcos, Latinos ac Africanos *Patres*, ullus ad undecimum uſque ſeculum notari poteſt, quin doctrinam hanc prædicatione, commentatione, tractatione, diſciplina atque uſu confirmârit. Ex quo verò Eccleſiæ Romanæ Antiſtites Gregorii VII. doctrinæ atq; moribus ſeſe conformantes, ſupra Reges atq; Imperatores ſe conſtituerunt, multùm doctrina

hæc

A Gregorio enim VII. contrariæ ſententiæ initium deſumi debere, Benignus Milletotus *du Delict Commun, in Libertatibus Eccleſiæ Gallic. Tom. I. p. 524. pariter aſſerit, ſimulque miratur, per tantum temporis ſpatium inter CLXIII. Papas, qui Gregorium præceſſerint, non fuiſſe, qui vel ipſi ferente occaſione, cum imperarent* Conſtantius Valensque *Arriani*, Julianus *paganus*, Anaſtaſius *Eutychianus*, Heraclius *Monothelita, in praxi vel in doctrina, ullum indicium nobis reliquerint; Principes non immediatè à DEO, ſed à populo poteſtatem ſuam habere, qui etiam cum Papæ viſum fuerit è re Eccleſiæ forè, illos loco movere atque punire poſſit. Miratur idem* Carolus Faye, *in Libertat. Eccleſ. Gall. Tom. I. pag. 209.* Non transgrediamur, *haud immeritò Libertatum Gallicanæ Eccleſiæ Vindices Tom. I p. 122. & 463. cum Salomone Proverb. XXII, 28 exhortantur*, terminos antiquos quos poſuerunt Patres noſtri. *Quod ipſum & modernus Papa* Innocentius XI. *alia licet in cauſa hortatur in epiſtola ſua ad Regem noſtrum D. XII. Martij 1682. exarata.*

hæc immutata fiiit. Plura Patrum dicta atque teſtimonia itemque Conciliorum decreta *D Gerhardus* noſter LL. Theolog. de Magiſtratu Politico §. 46. *M. Antonius de Dominis* de Republ. Eccleſ. lib. VI. cap. 2. n. X. ſeqq. pag. 522. *David Blondellus* de formula regnante Chriſto, ſect. 2. p 187. ſeqq. *Claudius Salmaſius* in Defenſ. Reg. c. 3. p. 81. ſeqq. & qui principem jure locum hos inter tenet *Petrus de Marca*, de Concord. Sacerd. & Imp. Tom. I. lib. II. c. II. p. 59. citârunt. Multa etiam ſparſim habent *Antiquitates Eccleſiaſticæ* Magni mei Præſidis Dn. D. *Bebelij*, quarum continuationem ut proximè conſpiciamus, ſcio ſeria multorũ piorum eſſe vota; quorum interpres jam jam extitit Illuſtris Baro *Boineburgius* in epiſtola ad Celeberrimum Theologum meumque magnum Patronum Dn. D. *Spenerum*, cui proſpera DOMINUS! vid. laudati Dn. D. *Bebelij* Epiſtolã Dedicatoriam in Antiquitates trium priorum ſeculorum, A. 1669. editas. Adduxi verò Patrum conſenſum, non tam ut inde fidem aſtruam, quam ut his quæ dicere volui, ab ipſorum dictis aliquid ornamenti accedat, utque ubi multi diverſis temporibus ac locis idem pro certo affirmârunt, id ad cauſam univerſalem referri debeat. Neque enim Veterum de Eccleſia bene meritorum Doctorum ſcripta alio loco habeo, quàm teſtimonia & confeſſiones veritatis, cum qua in quantum conveniunt, temerè ea rejicienda non puto. *Habeo bonorum exemplum*, inquit ille apud *Terentium* in Heautont. *quo exemplo mihi licere id facere, quod illi fecerunt puto.*

Extitit etiã Nobiliſſim⁹ Boſius *de comparanda notit ſcript. Eccleſ. p. 41.*

§. 17.

§ 17. Huicce Patrum teſtimonio, in gratiam Romanæ Curiæ devotorum, ſubjicere lubet conſtantem cum Veteris, tum recentioris inprimis Gallicanæ Eccleſiæ hac de re aſſeveratio-nem. Equidem, ſi *Emanuelem à Schelſtrate* Antverpienſium Theologum, Virum cæteroqui non indoctum, (qui non ita pridem *Antiquitatem illuſtratam circa Concilia generalia & provincilia, decreta & geſta Pontificum & præcipua totius Eccleſiaſticæ hiſtoriæ capita* Antverpiæ edidit, fermeque in ea id unicè egit, uti * Romani Pontificis primatum, omnesque alios ſuperantem auctoritatem ſtabiliret magis atque firmaret,) ex libri ſui Diſſertatione prima, ubi Gallorum doctiſſimum *Launojum*, de Papæ Primatu refutare nititur, audire deberemus, Gallicanam Eccleſiam in his ſimilibusque controverſiis, quibus Paparum, quam ſibi in Regum Principumque jura vendicant, auctoritas peſſum it, nequaquam ab aliis ſacræ Monarchiæ Architectis diſſentire, aſſerere neceſſe haberemus, cui verò res, cum ceu mox dicenda patefacient, clara ſit, pro reſponſione bonam mentem precamur: Et vel ſola Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ duo volumina 1639. *Petri Puteani* curâ Pariſiis typis nitidiſſimis conjunctim edita, quorum copia ab Excellentiſſimo Polyhiſtore, & cujus meritorum magnitudo omnem dicendi ubertatem ſuperat, Dn. D *OBRECHTIO* noſtro, pro ſuo in bonas literas earumq; Cultores inſigni amore, facta mihi eſt, falſitatis Schelſtratium convincunt, ſi maximè nulla nobis alia ſubſidia reſtarent atque argumenta, uti quidem abundè reſtare, jamjam aggredior oſtendere. Sit verò inſtar omnium Concilium, quod A. DCCCXXIX. VIII. Idus Junias (non 560. ut multi perperam exiſtimant,) Lutetiæ Pariſiorum, ab Epiſcopis quatuor Provinciarum *Rhemenſis, Senoniæ, Turonicæ* & *Rothomagenſis* celebratum eſt, vocarique *Concilium Pariſienſe* VI. ſolet, in quo conſcripti Patres *Ludovicum Pium*, officii ſui graviter admonent, & juris cuique reddendi perpetuam voluntatem ab eo exigunt, *quod imperium ſuum DEO ipſi, non autem deceſſoribus, deberet.* Non pi-

* *Unde & Innocentius XI. qui hoc tempore Papali auctoritate fruitur, cui laborem iſtum ſuum auctor dedicavit, titulos honoresque ei in navatæ operæ compenſationem multùm auxit, ceu deprædicatum à Schelſtratio valde eſt in ſecundi libri illius Voluminis dedicatione.*

grabor verba eorum, utut plura aliquantum ſint, ex Tomo XXI. Conciliorum Anno CIↃ IↃC XLIV. Regio juſſu Pariſiis editorum lib. II. c. 5. pag. 226. 227. huc tranſcribere. *Nemo Regum à progenitoribus regnum ſibi adminiſtrari, ſed à DEO veraciter atque humiliter credere debet dari: qui dicit, meum eſt Conſilium & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo: per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt: per me Principes imperant, & potentes juſtitiam decernunt. Quod autem non ab hominibus, ſed à DEO regnum terrenum tribuatur, Daniel Propheta teſtatur, dicens: In ſententia Vigilum decretum eſt, & ſermo ſanctorum & petitio, donec cognoſcant viventes, quod dominatur Excelſus in regno hominum, & cuicunque voluerit dabit illud, & humilimum hominem conſtituet ſuper illud. Item idem loquens de Nabuchodonoſor ad Balthazar: Donec cognoſceret, inquit, quod poteſtatem haberet Altiſſimus in regno hominum, & quemcunque voluerit, ſuſcitabit ſuper illud. Et per Hieremiam: Hæc dicit Dominus exercituum DEUS Iſraël: Hæc dicetis ad Dominos veſtros: Ego feci terram & hominem, & jumenta quæ ſunt ſuper faciem terræ, in fortitudine mea magna, & in brachio meo excelſo, & dedi eam ei, qui placuit in oculis meis. Hi verò, qui à progenitoribus ſibi ſuccedere regnum terrenum, & non potius à DEO dari putant, illis aptantur, quos Dominus per Prophetam improbat dicens: Ipſi regnaverunt & non ex me; Principes extiterunt & non cognovi: Ignorare quippe DEI procul dubio reprobare eſt. Quapropter quisquis mortalibus temporaliter imperat, non ab hominibus, ſed à DEO ſibi commiſſum regnum credat, multi namque munere divino, multi etiam DEI permiſſu regnant.* & paulò poſt: *Conſtat ergo, quia non aſtu, non voto, neque brachio fortitudinis humanæ, ſed virtute, imo occulto judicio diſpenſationis divinæ, regnum confertur terrenum.* A qua Concilii ſententia, neque Veteres Galliæ Doctores atque Epiſcopi deflexerunt unquam, & recentiores recedere grande nefas & piaculum eſſe rectè putant. Docent *Irenæi* Lugdunenſis, (cujus & verba quædam in paragrapho præcedente annotavimus,) *Remigii* Remenſis, & *Gregorii* Turonenſis Epiſcoporum, itemque *Hincmari* Rhemenſis Archi-Epiſcopi, nec non *Bernhardi* Clarævallenſis Abbatis libri, quos reliquerunt, atque epiſtolæ, quam

vera

vera ſint, quæ diximus. Inſecuti eos qui fuerunt, *Petrus ab Alliaco* Cameracenſis Epiſcopus, ejusque illuſtris Diſcipulus *Joh. Gerſon* Pariſienſis Academiæ Cancellarius, (in cujus laudibus *Lutherus* noſter multus eſt Tom. I. Altenburg. p. 836 b. & Tom. VI. p. 28. a. &c.) ut &, qui Gerſonem præceptorem habuit *Nicolaus de Clemangis*, itemque *Johannes de Pariſiis*, *Jacobus Almaynus* Chenonenſis Archidiaconus, *Simeon Vigorius* Archi-Epiſcopus Narbonenſis, (quem *Mareſius* & ipſe Gallus, Tom. I. contra Tirinum p. 283. *Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ acerrimum propugnatorem* appellat,) plurimique alii, qui hoc atque ſuperiori ſeculo in Gallia floruerunt eruditiſſimi Viri, non minori ſtudio ac prædeceſſores ſui, doctrinæ illi adhæſerunt. Taceo Clariſſimos Viros, *Fauchetium*, *Paſquierium*, *Pithœum*, *Hotmannum*, *Servinum*, *Milletotum*, aliosque libertatum Gallicarum conſarcinatores; neque commemorabo ſtudium *Franciſci de Victoria*, magni nominis inter Dominicanos Theologi, qui in relectionibus ſuis n. 8. *Andreæ Duvallij* Profeſſoris Pariſienſis, qui de Suprem. Rom. Pontif. part. 1. q. 1. itemque Doctiſſimi Pariſienſis Theologi *Fileſaci*, qui in eleganti ac perraro libello, quem *Selecta* inſcripſit, lib. I. pag. 129. ſeqq. ut & *Edmundi Richerij*, Theologicæ Pariſienſis Facultatis Doctoris atque Sorbonæ Syndici, qui de *Eccleſiaſtica & Politica poteſtate*, nec non ejus Defenſoris, *Simonis Vigorij*, in magno Galliarum Regis Conſilio Aſſeſſoris, qui in libello, cujus titulus: *Ex reſp. Synodali data Baſileæ &c. pars præcipua* Anno 1613. idem prolixè egerunt. *Petrum de Marca*, Toloſanum primum pòſt Pariſienſem Archi-Epiſcopum, ex nobiliſſimo ejus opere de *Concordia Sacerdotij atque Imperij*, ſuprà jam aliquoties audivimus, cujus etiam integrum libri ſecundi ſecundum caput veritatem aſſerti noſtri ſtabilitatum it. Citavimus quoque §. 5. elegantia verba auctoris libri, *Eſſais de Morale* inſcripti, quæ elogio etiam atque aſſenſu ſuo probavit ſcriptor libelli, qui *Arnaldus* Celebris ille Janſeniſta eſſe fertur, quemque ſingulari benevolentiæ Viri his in rebus egregiè verſati Dn. *Joh. Balthaſar. Ritteri*, Gallicæ, quæ Francofurti ad Mœnum eſt, Eccleſiæ optimè meriti Paſtoris, Fautorisque mei magni debeo: *Apologie pour les Catholiques contre les fauſſetez & les calomnies d'un livre intitulé: la Politique du Clergé*

gé de France, à Liege 1681. vide ejus *partem primam* cap. XI. pag. 136, 137. Adde etiam, qui *Dorſcheo* noſtro obſervatus eſt in *Anticriſi Theol.* Sect. IV. p. 44. *Annæum Robertum Aurelium,* Rer. Judicat. lib. 3. cap. 1. prolixè eandem in ſententiam diſſerentem. Junge eidem *Julium Mazarinum* Cardinalem, quem An. 1660. ad *Alexandrum VII.* Pontificem, præter alia hæc inſignia verba: *Nulli Regi jus in ſacra, inſpectionem ſolùm; nulli Pontifici jus in Reges, ſed paternum amorem eſſe debere,* perſcripſiſſe refert *Benjamin. Priolus,* de rebus Gallic. lib. X. pag. 372. Quæ *Ferrerius* Regius Orator in *Tridentino Concilio,* pro communi hac Gallorum ſententia diſſeruerit, & adverſus anonymum quendam, edita Apologia fortiter propugnaverit, apud *Petrum Suavem Polanum* legere eſt, in Hiſtor Concil. Trident. lib. 8. p. 863. & 866. (de quo, ut obiter hoc addam, minus æquè ſentit *Maimburgius* dans ſon Hiſtoire du Luther. Tom.. I pag. 230. Æquius longè, Doctiſſimi Ephemeridum auctores, in *Journal des Sçavans,* An. 1661. p. 227. ſeqq.) Quid *Jacobus Speſſæus,* Vir profundæ eruditionis ac judicii, An. 1588. in Oratione ſua adverſus Tridentinæ Synodi promulgationem hac de re ſenſerit, & quanto is æſtu ac fervore commotus, de *Petro Gondio Cardinali,* qui rerum eum Theologicarum ignarum dixerat, ultrò ſe manus daturum ſubjecerit, ſi is, qui ſe ignorantiæ argueret, impræſentiarum proprium nomen Grammaticè declinare poſſet, *Thuanus* explicavit, in Hiſtor. lib. 93. pag. 362. *Leonardi Stampeſii* Carnotenſis Epiſcopi, ſupra jam §. 14. mentionem fecimus, legique de conſenſu ejus plura poſſunt apud *Grammondum* Hiſtor. Gall. lib. XV. p. 634. ſeqq. Poteſt huc etiam referri anonymus, qui *Memoire pour la deffence de l'univerſalité de la Regale* ſcripſit, eidemque verba hæc inſeruit: *Le pouvoir du Roy pour juger ſouverainement des droits de ſa Couronne, vient immediatement de JEſus Chriſt, comme celuy de Pape, pour juger des droits de ſa* Primauté. Cujus mentem non intellexit, qui reſpondere ei conatus nuper eſt, auctor du *Traité General de la Regale* An. 1681. editi part. IV. dans la reponce à un memoire p. 191. Neſcio porro an locus hîc aliquis dandus ſit *Guilielmo Barclaio,* magni nominis JCto, & in Academia Muſſipontana Juris Profeſſori, qui patriam quidem Galliam non habuit, (quippe in Britanniæ Regis ſolo natus,)

in

in eadem tamen diu & vixit & mortuus eſt: Is verò & in libro *de poteſtate Papæ*, & in eo quem *de Regno & Regali poteſtate adverſus Monarchomachos* ſcripſit, & *Henrico IV.* cognomine *Magno* dedicatum, Anno præcedens ſeculum finiente Pariſiis edi curavit, pluribus cauſæ hujus noſtræ patronus extitit; quamvis quæ in poſteriori libro p. 111. & 112. ſcripſerit, dextra comodaq; interpretatione egeant. Ejuſdem quoq; cum popularibus ſuis ſententiæ, tempore Philippi Valeſii, A. 1329. *Petrum Cunerium*, cum in Senatu Pariſienſi verba faceret, fuiſſe, ipſe *Azorius* annotavit Inſtit. Moral. part. II. lib. X. c. VI. p. 1044. D. De *Claudij Eſpencæi* Pariſ. Theologi conſenſu, quæ in Opp. in epiſt. ad Tit. p. 571. ſeqq. edit. Pariſ. 1619. ſcripſit, dubitare nos non permittunt. Plures alios ex Gallis auctores *Ludovicus Rodolfinus* JCtus, de origine, dignitate & poteſtate Ducum Italiæ, primùm 1605. *Derthonæ*, pòſt *Argentorati* operâ *Chriſtophori Beſoldi* editus n. 58. p. 19. itemque *Johannes Limnæus*, in Notit. Regni Franc. lib. 2. c. 6. p. 399, & 400. allegârunt. Securos nos tandem eſſe jubet *Maimburgius*, Hiſtoire du Calvin. libr. 6. p. 502. doctrinam hanc in Galliis absq; contradictione aſſertam ſemper fuiſſe, & adhucdum conſtanter propugnari.

Neque in hoc Maimburgius *à vero abeſt*, *licet eum ipſum*, *quod in ſua Iconoclaſtarum Hiſtoriâ*, *lib. I. p. 148.* Leonem Iſaurum *Imp. à* Gregorio II. *excommunicatum ac imperio privatum*, *ſubditosque illius ab hoc ſubjectionis vinculo liberos pronuntiatos eſſe*, Zonaræ, Cedrenique *fide nixus*, *ſcripſerit*, *injuſto Paparum in Reges atque* Principes *dominio imprudenter patrocinatum*, *veritatique ſic ſententiæ noſtræ adverſatum fuiſſe*, *aliquibus videatur*: *Ubi quidem cum illo* Sorbonico Doctore, *qui non ita pridem contra Maimburgium*: Entretiens d'Eudoxe & d'Euchariſte ſur l'Hiſtoire de l'Arianiſme & l'hiſtoire des Iconoclaſtes, *absque tamen addito nomine edidit*, *ſuſpicari nolo*, *eo id fine Maimburgium feciſſe*, ut, qui ob plurima, quæ in hiſtoriis ſuis pro Principum juribus adverſus Romanam Curiam, (contra atque à Jeſuita expectabatur) ſcripſit, malè admodum Romæ audiebat, gratiam ſic ſibi ibidem aliquam conciliaret; *miror tamen*, *eum Cardinales* Baronium, Bellarminum *atque* Perronium, *quos ſæpius aliâs*, *cum Romano* Pontifici *nimis adulantur*, *caſtigare ſolet*, *in hoc* Principibus *adeo inviſo capite ſequi maluiſſe*, *quam quidem populares ſuos*, Petrum de Marca, Jacobum Gaulterium *& nuperum* ſelectorum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capitum *ſcriptorem* Natalem Alexandrum *aliosque*, *qui factum id unquam à Gregorio fuiſſe ſtre-*

 nuè

nuè negârunt. Magis verò adverſatur ſentèntiæ noſtræ, quando idem in Hiſtoire du Schiſme des Grecs *lib. VI. p. 357. &* Hiſtoire des Iconoclaſtes *libri I initio, & aliâs in ſuis hiſtoriis paſſim, Græcorum aliorumque calamitates ex illorum ſchiſmate atque, quam vocat, hæreſi accerſit, ſicut &* Baronio *in Annalibus ſuis facere ſolemne eſt: Eo ipſo enim hæreticum atque diſſolutioris vitæ Principem jure regnis ſuis privari poſſe ac debere, non abſurdè quis, licet minus rectè, concludet, Principumque ſic Summitati atque* ἀνυπευθυνίᾳ *haud parum detrahet. Taceo, gladium hunc adverſus ipſummet Maimburgium ſtringi poſſe, exemplo ejus quod apud* D. Dorſcheum, *de Provid. circa Aug. Confeſſ. p. 10. habetur. Et quid, ſi Græci inde potius argumentum pro doctrinæ ſuæ veritate deſumerent, quod veram Eccleſiam afflictio & calamitas tanquam pediſſequa ſemper ſequatur, ſecundum quod* Chriſtus *Matth. X, 18. ſeqq Johan. XVI, 20. &* Apoſtoli *Actor. XIV, 22. 2. Timoth. III, 12. prædixerunt, &* Claudius Eſpencæus, (*quem ipſe Maimburgius in* Hiſtoire du Calviniſme *libr. 3. p. m. 235.* Catholicam doctrinam in ſcriptis ſuis propugnare *ſcribit,*) *in II. Tim. Opp. p. 387. ſeqq. calculo ſuo confirmavit? Et aliâs, quæ adverſus* Robertum Bellarminum, *quod temporalis felicitas rerumque proſper ſucceſſus Eccleſiæ nota non ſit, diſputata ſunt, vel ex ſolo noſtro Bellarmino-Maſtige, quo nomine B. D.* Gerhardum *ſigno, in LL. Theol. de Eccleſia Sect. XV. §. 299. Tom V. p. m. 514. ſeqq. nota ſunt. Quo ipſo quidem Græcorum errori patrocinari animus non eſt; rectiora enim* D. Dannhaueri *noſtri* Stylus Vindex *me docuit, ſed ſaltem quam infirma admodum Maimburgii ratiocinatio ſit, volo oſtendere. Certè in hac materia Maimburgius neutiquam obſervavit, quæ pòſt in* Hiſtoire du Lutheran. *Tom. II. lib. V. pag. m. 117. ſcripſit:* Nous devons eſtre tellement attachez au S. Siege, comme tous les bons Catholiques le ſont, que nous ne choquions jamais, par un faux Zele, ſous pretexte de religion, les veritables interêts des Princes: *Ita Sanctæ Sedi adhærere debemus, quemadmodum omnes boni Catholici faciunt, ne unquam falſo Zelo, aut ſub religionis prætextu verum intereſſe* Princi*pum offendamus.*

§. 18. Agnoverunt etiam & faſſi ſunt doctrinæ hujus noſtræ veritatem, omni tempore ipſi Galliarum Reges, Capetini, Valeſii, & Bourbonii, atque ex his præcipuè, regnantis etiamnum lineæ magnus Conditor *Henricus IV.* eam confirmavit, quando *Franciſci I. Henrici II.* atque *Caroli IX.* exemplo, per Legatum ſuum coram *Paulo V.* Romæ contra *Julij II.* factum obteſtatus eſt, quo is Navarræ Regem *Johannem Labretanum*

num excommunicârat, regnumque ejus Arragoniæ Regi *Ferdinando* donârat, *quod Reges non niſi à DEO eſſent, nulloque planè modo Pontifices regna auferendi aut etiam transferendi poteſtatem haberent.* Vid. Dn. de *Puis* in tract. *de jure Regis ſuper regnum Navarræ*, & ex eo *Maimbourg* Hiſtoire du Calvin. lib. I. p. 18. *Ita & cum bullæ abſolutionis, quam eidem Henrico* Clemens VIII. *indulgebat, clauſula* rehabilitationis *ad regni ſucceſſionem, quaſi eo Rex* Sixti V. & Gregorii XIV. *cenſuris privatus, minimeque habilis reputatus fuiſſet, adderetur, neque Rex, neque Legatus* Perronius (*qui, quod Regem ad Romanæ Eccleſiæ fidem converterat, quo de ipſum* Perronium *vide in ejus Operibus Tom. I. pag. 636. edit. Pariſ. ab hoc Ebroicenſi primùm Epiſcopatu, moxq; Senonum Archi Epiſcopatu, majorisq; Galliæ Eleemoſynarij dignitate, à Pontifice verò ſacri Collegij purpura donatus pòſt indutusque fuit, apud* Grammond. *Hiſt. Gall. lib. 3. pag. 201.*) *neque procuratores ejus illam inſeri voluerunt, ne injuria regno Regique fieret, qui ſucceſſionem haberet jure naturali, neve Pontifici in regni Franciæ temporalia quicquam poteſtatis concederetur. Vid.* Rouſſel. *lib. 6. hiſtor. Juriſd. Pontif. cap. 7. p. 682. & lib. 7. c. 4. pag. 745. edit. Pariſ. Anno 1625. adde* Thuanum *libr. 113. Hiſtor. Tom. V. pag. 586, 587, & 588.*

Id quod & non multò ante *Pio IV.* Romano Pontifici, quum is diplomate quodam ſolemni, (quod *injuſtum atque injurioſum Thuanus* vocat Hiſtor. lib. XXXV. p. m. 261.) cum multis Galliæ Epiſcopis atque Prælatis, *Johannam Labretanam* Navarræ Reginam ſacrâ cenſurâ notâſſet, objectum à Carolo IX. eſt, nullo quod Calviniana ea eſſet habito reſpectu: *qu'il n'appartenoit nullement aux Papes, de diſpoſer des biens des Rois, & de les depoſer, puis qu'ils n'ont pour le temporel aucun ſuperieur, que DIEU, du quel ſeul ils dependent, & qui a ſeul pouvoir de les juger: Quod nullo modo Paparum ſit, de Regum bonis diſponere, eoſque è ſolio dejicere, quandoquidem hi in temporalibus neminem hominum, ſed ſolum DEUM ſuperiorem habeant, à quo & ſolo dependeant judiciumque expectent.* Vid. *Memoires dreſſez par le Commendement du Roy Charles IX. ſur les procedures faites à Rome, contre la Reine de Navarre, envoyez à Rome, pour eſtre communiquez au* Pape Pie *IV. l'An 1567*, quæ habentur Tom. I. *Libertat. Eccleſ. Gall.* pag. 133. ſeqq. Sed videamus etiam de Veteribus, aſcendamusque ad ſeculi undecimi ſequentium-

Adde Maimbourg *Hiſtoire du Calvin. lib. 4. pag.* 330.

tiumque tempora. *Philippus I.* utut ſacra communione ab *Urbano II.* ob ſuperductam *Bertradam* arceſſitus, regni curam nunquam depoſuit, conſuetaque Conciliorum convocandorum; præſulatuumque conferendorum poteſtate uſus ſemper fuit, eoque ſatis, quam minimè ſuperiorem ſe, niſi DEUM, agnoſceret, indicavit. Vid. *Davidem Blondellum* Catalaunenſem, patriæ hiſtoriæ gnariſſimum Virum, *De formulæ Regnante Chriſto in Veterum Monumentis uſu*, Sect. II. pag. 257. ſeqq. Hujus pronepos *Philippus II.* cognomine *Auguſtus*, deceſſorum ſuorum more rata habere noluit, quæ à *Lucio III.* Pontifice ad Regiæ dignitatis, & jurium regni imminutionem decerni timebantur. Unde ad *Lucium*, Dolenſem Eccleſiam in minori Britannia Metropolitana dignitate in perniciem Turonenſis Eccleſiæ ornare volentem, graviter ſcripſit: *In læſione Turonenſis Eccleſiæ, quæ tempore patrum noſtrorum integram Metropolitani juriſdictionem, in tota minori Britannia obtinuit, Regnum noſtrum turpiter imminuere ac mutilare contendit Eccleſia Romana; coronam de capite noſtro dejicere, frangere, & pedibus conculcare. Quid enim aliud eſt, Archi-Epiſcopum in eadem provincia contra Metropolitanum ſuum, & integritatem regni noſtri erigere velle, quàm ab hæreditate* Patrum *noſtrorum, nos tanquam imbecilles, reſiſtere non valentes, ejicere & fugare? Videat Dominus & judicet, quia ſi proceſſerit factum iſtud, minus amodo vos æſtimabimus Patrem, quàm vitricum; minùs nos ſentietis filium, quàm Privignum.* Exhibet epiſtolam illam ex *Stephano Tornacenſi epiſt. CXXVI. Petrus de Marca*, de Concord. Sacerd. & Imp. Tom. I. lib. IV. c. 13. pag. 270. b. qui & addit, ſimilem querelam adverſus Primatum Lugdunenſem exſtare in epiſtola *Ludovici VI.* Regis ad *Calliſtum II.* quæ edita eſt Tom. III. *Spicilegij Dacheriani* pag. 147. Idem *Philippus Auguſtus* regni ſui adminiſtrandi communionem Papæ *Clementi III.* denegavit, cum ab *Joanne Anagnino* Cardinali, ad pacem cum *Henrico* Angliæ Rege, ſub excommunicationis pœna ac minis urgeretur, *quod non pertineret ad Eccleſiam Romanam, in Regnum Franciæ per ſententiam vel alio modo animadvertere*; inſtigatus etiam Rex fuit ab Odone Burgundiæ Duce, reliquisque Regni Proceribus, *ut neque pacem neque Treugam faceret Regi Angliæ, per violentiam vel coactionem Papæ.* Vid.

Petrum

Petrum de Marca, de Concord. Sacerd. & Imp. Tom. I. lib. 4. cap. 14. n. 1. pag. 272. a. & ex eo *Maimbourg* Hiſtoire des Croiſades Tom. II. lib. V. pag. m. 125. cujus hæc ἐπίκριſις Regis Philippi verbis ſubjicitur. *C'étoit là parler & agir en grand Roy, qui, ſans s'émouvoir, ſçait maintenir les droits de ſa Couronne independante de tout autre, que de DIEU ſeul, & conſerver ſon autorité ſouveraine ſans choquer celle de l'Egliſe, dont le Royaume tout ſpirituel qu'elle tient de JESUS Chriſt, n'eſt pas de ce monde.* Similiter & *Philippus IV.* ad inducias cum Anglo, per excommunicationes cogi ſe à *Bonifacio VIII.* paſſus non eſt, neque in temporalibus ſe cuiquam ſubjici, in ſpiritualibus verò paritu- rum in quantum debeat, graviter pronunciavit. Vid. Tom. II. *Libert. Eccleſ. Gall.* cap. 7. n. 12. pag. 123. Et quoniam ad *Philippum IV.* pervenimus, ſilenda non erit famoſa illa eum inter atque *Bonifacium IIX.* concertatio. Orta autem ea cumprimis fuit ex Bonifacii, *hominis inquieti ac ſuperbi* (*Thuano* ſic de eo ſentiente Hiſtor. lib. X. pag. 314.) faſtu, qui Regis atque regni majeſtatem imminuere, & Eccleſiaſticæ jurisdictionis, ultra quam par eſſet, pomœria proferre volebat, ſicuti originem ejus *Petrus de Marca* deſcribit, de Concord. Sacerd. & Imperii Tom. I lib. I. c. I. num. XI. pag. 6. a. Is igitur Bonifacius Philippo aliunde infenſus, (quod videlicet Columnenſes, Pontificis hoſtes apud ſe benigne haberet, quodque belli Flandrici curas non deponeret., juxta conditiones à Bonifacii arbitro compromiſſario dictas,) præ cæteris eum, ut ſubſidia in terram ſanctam mitteret, per Legatum ſuum *Bernhardum Appamienſem Epiſcopum* monuerat, depoſitionem comminatus, ni monitis obtemperaret: Philippus autem bellum Flandricum cauſatus, ſe nec copias, neq; pecuniam tranſmiſſurũ profeſſus fuerat, Legatumq; inſuper Pontificis de majeſtatis crimine apud ſe delatum in carcerem detruſerat; Occaſionem hinc, quæ prætextu pietatis non carebat, Bonifacius

Adde ex quo uterque id habet Tomum II Libert. Eccleſ. Gall. *c. 7. n. 2. p. 12. ipſa acta publica exhibentem.*

Dieſer Bonifacius iſt es / der den König Philippum zu Franckreich abſetzte / und ließ ein Urtheil gehen / weil der König ihm nicht gehorſamb wäre wider die Columneſer, ſo muſt er im Bann ſeyn. Aber König Philippus war dannoch zu ſeiner Zeit ein zimblicher Lutheriſcher / und ſtellte dem H. Vatter Bonifacio nach / biß er ihn kriegte. *Ita appoſitè Lutherus noſter Tom. VI. Altenb. pag. 1092. a.*

G avidè

avidè arripuit, eoque fuit provectus, ut Regem non ſolùm anathemate feriret, ſed etiam ſibi ſubditum in rebus civilibus epiſtolâ denunciaret, illamque ſententiam editâ *extravaganti conſtitutione* anno Pontificatûs ultimo firmaret. Philippus fulmen illud Vaticani nihili faciens, Epiſcopos, Abbates, Priores, Conventuales, Decanos, Præpoſitos, & Procuratores Eccleſiarum Cathedralium & Collegialium, Syndicosque & Procuratores Urbium & Communitatum regni A. M CCCII. die X. menſis Aprilis convocavit, iisque Bonifacii regnum Francorum ſibi temporaliter ſubeſſe aſſerentis conſilia expoſuit, qui & conſilio & ope Regi ſe adfuturos ſpoponderunt, in tuendo capite & honore Regis regnique libertatibus & juribus. Philippus quoque brevi quodam epiſtolio dolorem ſuum acribus verbis, & *Fatuitatis* convicio in Bonifacium conjecto ultus eſt. Geſtam ſic rem enarrat *Petrus de Marca*, de Concord. Sacerd. & Imp. Tom. I. lib. II. cap. 3. num. 8 & lib. IV. c. 16. n. 1. ſeqq. pag. 70. & 286. & Tom. II. lib. VI. cap. 33. num. 2. pag. 197. Adducam verò Regis Pontificisque literas adinvicem miſſas, ſicut eas *Benignus Milletot* exhibet in *Libert. Eccleſ. Gall.* Tom. I. pag. 530. ſicut item in Tomo II. Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ, qui *Preuves des libertez de l'Egliſe Gallicane* inſcribitur cap. 7. num. 13. pag. 124. continentur. Bonifacius *ſervus ſervorum DEI*, Philippo *Regi Francorum: DEUM time & mandata ejus obſerva: Scire Te volumus, quod in ſpiritualibus & temporalibus nobis ſubes, beneficiorum & præbendarum ad Te collatio nulla ſpectat, & ſi aliquam vacantem cuſtodiam habeas, uſumfructum earum ſucceſſoribus reſerves, & ſi qua contuliſti, collationem haberi irritam decernimus, & quatenus proceſſerit, revocamus, aliud credentes hæreticos reputamus. Datum Laterani IV. Non. Decembr. Ann. 6.* Regis reſponſoriæ hæ erant. Philippus *DEI gratia Francorum Rex*, Bonifacio *ſe gerenti pro ſummo* Pontifice, *ſalutem modicam, ſive nullam. Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non ſubeſſe: aliquarum Eccleſiarum & præbendarum vacantem collationẽ ad nos jure Regio pertinere, & percipere fructus earum contra omnes poſſeſſores viriliter nos tueri, ſecus autem credentes fatuos reputamus atque dementes.* Præterea *Grammondus* Hiſtor. Gall. lib. I. pag. 64. obſervat, tertii Ordinis ad

Clerum

Scio equidem & fateor, Paulum Æmilium, *de rebus geſtis Francorum libr. 8. p. 414. &* Scipionem du Pleix, *Tom. II. de l' hiſtoire generale de France p. 387. alioſq; dicere, epiſtolas iſtas Regem atque Pontificem auctores non agnoſcere, ſed confictas fuiſſe ab aliis : Aſt compoſitas ab iis eſſe, præter plurimos hiſtoricos à* Limnæo *in Notitia Regni Franciæ lib. 2. cap. 6. p. 404. citatos*, Petrus de Marca *etiam defendit, de Concord. Sacerd. & Imp. lib. 4. c. 16. n. 3. & 4. quamvis rectè addat pag. 287. a.* Pontificis epiſtolam ad Regem perlatam non eſſe, prout concepta fuerat, exigentibus id Regiis Legatis, ne Philippi animus accenderetur; attamen unum ex illis, Petrum Flottam, ſumma capita exſcripſiſſe, quæ illo epiſtolio contineantur, quod hodie ſub Bonifacii nomine ad Philippum circumferatur. *Forte Papa eas ſcripſit, aut Legatus etiam ſuppoſuit, poſtea autem cum non reſponderet, quem expectabant, eventus, neuter auctor videri voluit. Certè auctores, quod eam ſuppoſuerint accuſari nequeunt, quia jam illo tempore frequens celebriſque mentio literarum fuit. Licet igitur literæ, quas habemus, eodem planè modo ſcriptæ primùm non fuerint, ſufficit habere nos capita, in prioribus contenta : Habet alioquin etiam epiſtolas illas* Franciſcus Carriere *Aptenſis Minorita, in Hiſtor. Chronol. Pontif. Roman. Lugdun. A. 1663. fol. 442. Illud adhuc obſervo ex* Johannis Villanii, *qui juxta* Bellarminum *A. 1348. obiit, Annal. Eccleſ. ad an. 1303. §. 2. Robertum Comitem Atrebatenſem coram Rege Pontificis literas combuſſiſſe, id quod &* Claudius Fauchetius *Tom. I. Libert. Eccleſ. Gall. p. 193. factum ſcribit, deque Bonifacio dicit :* Sedem eum occupâſſe ut vulpem, regnâſſe ut leonem, fuiſſe mortuum ut canem; *prout & in Arreſto Regio adverſus theſes* Jacobi A. 1595. *quod habetur Tom. I. Libert. dicitur*: Bonifacium terrorem potius quam religionem populis intuliſſe, *vid. p. 491. & confer quoque* Carolum Faye *eodem Tomo p. 215. iiſdem ex Platina verbis utentem.*

Clerum delegatos, Anno 1615. ubi de eadem hac doctrina diſceptabatur, reſponſum citâſſe, quod Patres in Comitiis Pariſienſibus ad Cardinales Bonifacio adhærentes dederint, in hæc verba : *Nos Prælati, Abbates &c. Ab omni tempore dicitur Galliæ Regnum DEO uni ſubditum in temporalibus, quod omnibus notum eſt &c.* Poſt mortem tandem Bonifacii, ejusque ſucceſſoris *Benedicti XI.* ſeculo decimo quarto ineunte, *Clemens V.* contraria conſtitutione Bonifacii extravagantem abrogavit : Vide qui eam exhibet *Petrum de Marca*, de Concord. Sacerd. & Imp. lib. 2. cap. 3. n. 8 : & adde *Libertat. Eccleſ. Gall.* Tom. II. c. 7. n. 21. p. 139. Quamvis ex Tilletio *Marcus Vulſon* de la puiſſan-

Iniquus hic eſt in Philippum, juſtoque in Bonifaciũ æquior Azorius. *Inſtitut. Moral. part. II. lib. IV. cap. XIX. p.* 479, *E.*

ce du Pape, & des libertés de l'Egliſe Gallicane lib. 3. c. 20. n. 10. ſeqq. p. 223. non tam Clementem Bonifacii conſtitutionem ſuſtuliſſe, quam confirmâſſe ſcribat: Unde non absque cauſa *Petrus de Marca* loc. cit. addit: *Statum ultimum, quem inſpicere oporteat, petendum eſſe è Decretalibus Innocentii III. qui ſuperiorem omnem in temporalibus à Regia Corona Francorum amoverit.* Habetur autem illa Innocentii conſtitutio in *Libertat. Eccleſ. Gallic.* Tom. II. cap. 7. n. 3. pag. 113. Licet nec hoc Innocentii reſcripto ſe moveri aſſeruerit *Cardinalis Perronius*, ut debitam immediatè uni DEO regum in ſubditos poteſtatem, de fide eſſe concludere cogeretur, in oratione ſua ad tertii Ordinis delegatos. Vide *les Oeuvres diverſes de Monſ. le Cardinal du Perron.* p. 599. & adde *Grammond.* Hiſtor. Gall. lib. I. pag. 62. Edita de cætero eſt totius ejus controverſiæ Philippi Pulchri cum Bonifacio IIX. hiſtoria, ex regiis tabulariis Lutetiæ Pariſiorum apud Sebaſtianum Cramoiſy A. 1655. Et ne quis putet, antiquata hæc, atque huc referenda minimè eſſe, non tantùm Anno 1595. Pariſienſes Senatores in Cenſura, ſive Arreſto ſuo adverſus *Florentem Jacob* memoriam ejus renovârunt, vid. *Thuan.* ad dictum annum Tom. V. Hiſtor. p. 594. ſed & *Clerus* nuper *Gallicanus* Pariſiis congregatus, in Epiſtola ad Innocentium XI. modernũ Papam, *Pariſiis* Anno 1682. *tertio Nonas menſis Februarij* data, eodemq; anno cum Regis privilegio ibidem typis expreſſa p. 17. acta hæc inter Philippum atq; Bonifacium moderno Pontifici in memoriam revocavit, uti nec hic in reſponſoriis ad Clerum d. XI. April A. 1682. datis Bonifacii Zelum & conſtantiam in defendenda Eccleſiæ libertate adverſus ſecularem poteſtatem laudare deſtitit Nimis longum foret, omnia huc pertinentia recenſere, ideoque de litibus, quæ *Carolo VI.* cum *Benedicto XIII.* ad *Libertates Eccleſiæ Gallicanæ* Tom. II. c. 4. num. 7. pag. 33. & de iis, quæ *Ludovico XII.* cum *Julio II.* interceſſerunt, ſciendi earum cupidum ad *Thuanum* ablegamus, qui in Hiſtor. lib. I. ad ann. 1505. p. m. 11. temerè atq; injuriosè Regem à Julio Pontifice proſcriptum, Synodum contra Papam Lugduni convocâſſe, aureumque nummum inſignia Franciæ ex una parte, cum hoc elogio: P*erdam Babylonis nomen* referentem, cudiſſe narrabit. Quanti Bullas *Sixti V.* itemque *Gregorij XIV.* adverſus *Henricum III.* & *IV.* Reges hi fecerint, ex * Libertatibus

* *Vid. etiam* Thuanum *in Hiſtor. lib.* 82. *ad An.* 1585. *pag* 47.

bus Eccleſ. Gallic. Tom. I. pag. 405. & Tom. II. cap. 4. pag. 46. ſeqq. cognoſcere eſt. Quæ ante hos viginti annos contra *Alexandrum VII.* ejusque Bullam *juſſu Regio* Lutetiæ Pariſiorum decreta pronunciatave fuerint, *Franciſcus Carriere* annotavit in Hiſtor. Chronol. Pontif. pag. 442. Unde *REX Ludovicus XIV.* Majorum ſuorum veſtigia premens, inter cæteras à Gallicano Clero nuper propoſitas, approbatasq; de Eccleſiaſtica Poteſtate propoſitiones, illam quoque pragmatica atq; in perpetuum duratura ſanctione confirmavit, qua *Reges atque Principes in temporalibus nulli Eccleſiaſticæ poteſtati DEI ordinatione, ſed ſoli DEO immediatè ſubjici, neque clavium Eccleſiæ auctoritate directè vel indirectè deponi, aut ſubditos illorum eximi à fide atque obedientia, ac præſtito fidelitatis ſacramento ſolvi poſſe*, Clerus Gallicanus ſanxerat. Vide *l'Edit du Roy pour l'Enregiſtrement & obſervation de la declaration du Clergé de France, touchant la puiſſance Eccleſiaſtique, donné à S. Germain au mois de Mars l'an 1682.* LOUIS par la grace de DIEU, *Bien que l'independance de noſtre Couronne de toute autre puiſſance que de DIEU, ſoit une verité certaine & inconteſtable, & eſtablie ſur les propres parolles de JESUS-CHRIST, Nous n'avons pas laiſſé, de recevoir avec plaiſir la Declaration, que les deputez du Clergé de France, aſſemblez par noſtre permiſſion en noſtre bonne ville de Paris Nous ont preſenté, contenant leurs ſentiments touchant la puiſſance Eccleſiaſtique &c.* Adſcribam verò articulum primum declarationis illius: *Nos Archi-Epiſcopi & Epiſcopi Pariſiis mandato Regio congregati Eccleſiam Gallicanam repræſentantes, unà cum cæteris Eccleſiaſticis Viris nobiſcum deputatis, diligenti tractatu habito hæc ſancienda & declaranda eſſe duximus: Primùm beato Petro ejusque ſucceſſoribus Chriſti vicariis, ipſique Eccleſiæ rerum ſpiritualium & ad æternam ſalutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium à DEO traditam poteſtatem, dicente Domino: Regnum meum non eſt de hoc mundo, & iterum: Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt DEI DEO: ac proinde ſtare Apoſtolicum illud: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non enim eſt poteſtas niſi à DEO: Quæ autem ſunt, à DEO ordinatæ ſunt. Itaque qui poteſtati reſiſtit, DEI ordinationi reſiſtit. Reges ergò & Principes in temporalibus nulli Eccle-*

ſiaſticæ poteſtati DEO ordinatione ſubjici, neque authoritate Clavium Eccleſiæ directè vel indirectè deponi, aut illorum ſubditos eximi à fide atque obedientia, ac præſtito fidelitatis ſacramento ſolvi poſſe, eamque ſententiam publicæ tranquillitati neceſſariam, nec minus Eccleſiæ quam Imperio utilem, ut verbo DEI, Patrum traditioni & ſanctorum exemplis conſonam omninò retinendam. Vix autem hujus atq; trium adhuc reliquorũ articulorũ, de quibus ſermo nunc nobis non eſt, declaratio A. 1682. d. XIX. Martii à Gallicano Clero prodierat, cum eodem anno d. XXIV. Octobris apud Hungaros contraria ei conſpiceretur epiſtola *Georgij Szelephenij*, Eccleſiæ Metropolitanæ Strigonienſis Archi-Epiſcopi & regni Hungariæ Primatis, ad univerſos & ſingulos Chriſti fideles in Hungaria conſtitutos Tyrnaviæ data, mihique ab amico quodam Pariſiis transmiſſa; in qua verò, poſtquam ſtudium ſuum in tollendis malis, quæ Eccleſiæ nocere poſſent, & in promovendis iis, quibus *Orthodoxa Romana Eccleſia* exaltaretur, commemorâſſet, ita is de Declaratione illa ſcripſit: *Inter cætera autem, quæ ſe nobis corrigenda & eliminanda obtulerunt, & moram pati non poſſunt, ſine evidenti periculo animarum, non ultimum locum tenent quatuor illæ propoſitiones, quæ Cleri Gallicani nuper Pariſiis congregati nomine prodierunt. Quæ quidem propoſitiones auribus Chriſtianis abſurdæ & planè deteſtabiles, cùm per Hungarici quoque Regni provincias à Satanæ Miniſtris diſſipatæ ſint, eo fortaſſe conſilio, ut perduellioni & cœteris malis inteſtinis pabulum & fomentum ſuppeditent, & incautis fidelium animis blandæ pietatis ſpecie ſchismaticum Virus inſtillent, Nos, omiſſâ in præſens curâ eas confutandi, cùm perpetua ſanctorum Patrum traditione, Oecumenicorum Conciliorum decretis & apertis ipſius divini verbi teſtimoniis ſatis exploſæ confutatæque ſint, (quamvis nonnulla ſcripturæ loca auctores propoſitionum in ſuam ſententiam callida & falſa interpretatione detorqueant,) neque deſint inſignes Theologi, qui has partes ſtrenuè exequantur, prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, qui in hujuſmodi caſibus unanimi conſilio & ſpiritu, noxias doctrinas & in fide periculoſas proſcripſerunt, DEI nomine invocato & præhabito meliori forma, qua per temporis & loci difficultatem licuit, diligenti examine & deliberatione matura, cum Venerabilibus Fratribus*

noſtris

noſtris Co-Epiſcopis, Abbatibus, & Præpoſitis, Capitulis, aliiſque compluribus Theologiæ Profeſſoribus, & ſacrorum Canonum ſcientia præſtantibus Viris, præfatas quatuor propoſitiones configimus & proſcribimus, ne eas legere nec tenere, multominus docere audeant. &c. Quæ adeo dura ac rigida ſunt, ut, num Romanis etiam omnibus, (*quorum aures aliâs teneritudine quadam plus trahuntur*, ut Auxiliaris Præfectus, apud antiquum ſcriptorem vitæ S. Hilarii Epiſcopi Arelatenſis ait) nedum Gallis, placiturus iſte verborum *Szelephenij* rigor ſit, haud immeritò ambigere quis poſſet.

§. 19. Interpretes regiæ voluntatis fuere ſemper Theologicæ Facultatis Senatusq; Pariſienſis Aſſeſſores, qui contrariæ ſententiæ nunquam non animosè contradixerunt, prudenterque, ne libri eam continentes noxæ cuiquam in regno eſſent, decretis proſcriptionibusq; ſuis caverunt, ſicut *Tanquerelli* theſes A. 1561. apud *Thuanum* Hiſtor. Tom. II. lib. XXIIX. p. 50. (contra quas arreſtum vide in *Libertatibus Eccleſ. Gall.* Tom. I. pag. 123.) *Florentis Jacobi*, qui A. 1595. X. Maji ſub *Thomæ Blanzi* Doctoris Theologiæ præſidio, à Papa *Clemente* VIII. tanquam Vicario DEI, temporalia & ſpiritualia petenda eſſe, propugnare conatus fuerat, apud eundem Hiſtor. Tom. V. lib. CXIV. pag. 592. (arreſtum contra ejus diſputationem habetur in *Libert. Eccleſ. Gall.* Tom. I. p. 447.) *Marianæ* A. 1610. apud *Grammond.* Hiſtor. Gall. lib. I. p. 9. *Bellarmini* A. 1614. apud eund. lib. cit. p. 10. *Santarelli* A. 1625. apud eund. lib. XV. p. 652. aliorumque libri Regum auctoritatem non à DEO ἀμέσως derivantes, *tanquam falſi, pernicioſi, ſeditioſi, verboque DEI contrarij, planeque deteſtandi*, rejecti ab illis (etiam ab integris Academiis Pariſina, Rhemenſi, Tholoſana &c.) condemnatique fuere, prout latè expoſitum ab auctore de la *Theologie Morale des Jeſuites & Caſuiſtes* part. 2. p. 126. ſeqq. Adde *Limnæum* ab eoque citatos auctores, in Notit. Regni Franciæ part. 1. lib. 2. p. 410. cumprimis autem vide Tomum II. *Libertat. Eccleſ. Gall.* cap. IV. p. 59. ſeqq. & lib. VII. p. 173. ſeqq. ubi ipſa arreſta ac cenſuræ exhibentur. Quomodo A. 1615. *tertius Ordo*, in Generalibus Galliæ Comitiis ſacram independentemque Regum auctoritatem defenderit, conſentientibusque Pariſini Senatus Patribus, eam in ſententiam pronun-

nunciârit, quod pro lege atque ſanctione pragmatica ac fundamentali habendum poſthac eſſet, Galliæ Reges unius DEI beneficio regnare, neminemque in temporalibus Dominum ſuum agnoſcere, *Grammondo* auctore conſtat Hiſtor. Gall. lib. 1. p. 61. ſeqq. Anno 1663. d. XXX. Maji occaſione Diſputationis Theologicæ *Gabrielis Drueti* de Villa nova, Theolog. Baccalaurei d. XIX. Januarii eod. Anno habendæ, inhibitæ verò arreſto Parlamenti, (quod habetur in *Journal des Illuſtres Audiences du Parlement* Tom. II. lib. 5. cap. 2. pag. 475.) Sorbonæ Doctores in Declaratione ſua à Parlamenti Pariſienſis Curia expetita, eandem nobiſcum doctrinam profeſſi ſunt; Vid. Decretum Curiæ Parlamenti Pariſienſis, in Latinum à *Stegero* translatum, quod habetur in fine epiſtolarum Provincialium *Montaltij*, editore *Rachelio*: uti & non ita pridem fecit Baccalaureus Theologiæ, qui Anno 1673. d. XV. Novembr. in Sorbona ſequentem theſin adverſus *Supinum* quendam, qui XV. Julii A. 1673. *Fridericum II. Imper. erga ſedem Apoſtolicam ingratum, juſtè in Concilio I. Lugdunenſi depoſitum fuiſſe* defenderat, cauſæque ſic Paparum juſto plus patrocinari viſus fuerat, propugnavit: *Eccleſia ne quidem indirectum dominium habet in Regum temporalia: rabiem igitur aut certè inſaniam produnt, quicunque aſſerunt, deponi poſſe Reges aut etiam Imperatores, à Romanis vel aliis Pontificibus; aut quod majus eſt à Concilijs Oecumenicis: non minus deſipiunt, qui putant, Regum maximè Chriſtianiſſimorum ſubditos à ſacramento fidelitatis ſemel jurato abſolvi unquam poſſe.* Confer les Entretiens d'Eudoxe & d'Euchariſte ſur l'Hiſtoire de l'Arianiſme & des Iconoclaſtes du P. Maimbourg à Cologne l'An 1683, p. m. 110. Ut adeo mirer, *Maimburgium* in hiſtoire du Luther. Tom. I. lib. 2. p. m. 71. ſcribere: *Facultatis Theologicæ Pariſienſis Doctores conſtantiſſimè ſemper jura atque prærogativa Sanctæ Sedis, unde Catholicæ Eccleſiæ unitas dependeat, propugnâſſe.* Certè Italicam atque Tranſalpinam Theologiam qui defendunt, contrarium potius eos feciſſe, aſſerent. Ratum igitur fixumque eſto ac maneto, quod Senatores Pariſienſis Collegii, *in Arreſto contra Jacobum* ſcribunt Tom. I. *Libertat. Eccleſ. Gallic.* p. 490. Nos Roys ne tiennent leur Souveraineté, que de DIEU ſeul, ne recognoiſſent pardeſſus eux, pour le gouvernement temporel de leur

Confer etiam I. Aug. Thuanum *Hiſtor. Tom. V. libr. CXIV. p. 593.*

leur Royaume autre que DIEU. *C'eſt choſe, que l'Egliſe Gallicane tient pour reſoluë & indubitable, non pas par privilege ou liberté particuliére, mais par droit commun, conforme à la parole de DIEU, à l'ancienne police de l'Egliſe univerſelle, & aux decrets des Conciles Oecumeniques.* Res eſt, quam Gallicana Eccleſia pro certa, & de qua non dubitari queat vel debeat, tenet, non quidem privilegio quodam, aut libertate peculiari, ſed jure communi, cum Verbo DEI, antiqua Eccleſiæ univerſalis diſciplina, decretisque ſanctis & Oecumenicis Synodis conſentiente.

§. 20. Neque verò Politicorum ſolùm aut Juriſtarum, (ut *Bellarminus* loquitur,) ſive etiam Sorbonæ Doctorum, quos ſæpius aliâs *falſitatis & arrogantiæ convictos* Jeſuitæ ſcribunt, in *Spongia ſua contra Cenſuram Facultatis Theolog. Pariſ.* pag. 13. (quam quum *Franciſcus Hallier* Pariſienſis Theologus Vindiciis ſuis profligâſſet, *Ludovici Cellotij* Jeſuitæ iram in ſe concitavit, in præfat. lib. de Hierarchia cap. 2.) doctrinam hanc, ſed & ipſorum Jeſuitarum eſſe, horum declaratio oſtendit; quam ſicut *Gabriel Bartholomæus Gramondus*, in libro 15. Hiſtoriarum Galliæ pag. 654. nobis reliquit, huc adjiciam. *Agnoſcimus & profitemur Regum immediatam eſſe à DEO poteſtatem independensque ipſis jus eſſe in ſubditos; cui ſententiæ ut veræ, noſtro omnium ſanguine ſubſcribetur, ſi opus, non ſecus ac cenſuris, ſi quæ à Clero Gallicano aut Sorbona in ejuſmodi libros edentur. Promittimus inſuper, futuram nobis poſthâc unam & eandem ſuper ea quæſtione cum Sorbonâ, Clero & Regni Gallici Academiis ſententiam. Actum Lutetiæ XVI. Martii A. M. DC. XXVI.* Qua ipſa declaratione reſponſum Societatis Patres ſuum correxerant, quod paulò ante Senatui interroganti, *num Summo Pontifici jus in Reges eſſet?* Et quum id negarent, porrò urgenti: *quid ſi Romæ eſſent ſentirent?* Cotone in Provincia Pariſienſi provinciali interprete dederant: * *Mutaretur nobis cum cœlo animus, ſentiremus ut Romæ.* Vide *Grammondum* loco citato & p. 655. ubi P. *Cotonem* tædio interrogatoriæ hujus actionis, qua præcipui è Societate extra ordinem pulſati fuerant, morbo correptum fati legem impleviſſe addit. Similis in eo Coto cum Collegis ſuis, Epiſcopis illis atq; Cardinalibus, qui A. 964. Johannem XII. à ſe paulò antè

* *Vnde lucem accipiunt, quæ eandem in ſententiã* Achilles Harlæus *Senatus Pariſienſis Princeps diu jam ante coram Henrico IV. diſſerue-rat, apud* Thuanum *in Hiſt. Tom. V. libr CXXXII. p.* 1124, *quem lege & miraberis.*

condemnatum ſedi Romanæ præfecerunt, *changeant d'avis ſelon la diverſitè de temps, & touſjours tout preſts à faire tout ce qu'on voudroit*; mutantes ſententiam juxta variationem temporis, ſemperque quod petebatur facere parati, uti *Maimburgius* Hiſtoire de la Decad. de l'Empire lib I. pag. 50. & 53. ingenium eorum depinxit. *Dionyſius* certè *Petavius* Celebris Jeſuita, qui Declarationi illi, ex Grammondo modo adductæ, pariter cum reliquis, eodem citato loco referente, ſubſcripſerat, non quidem cœlum, animum tamen mutavit, quando aliquot pòſt annis in *Theolog. Dogmat.* Tom. III. de Eccleſ. Hierarch. lib. III. c. XIV. pag. 881. edit. Pariſ. A. 1644. ſcripſit: *Jus omne ac poteſtatem à natura ipſa communitati eſſe traditam, quæ eam poſtea vel in plures Magiſtratus ac rectores partiatur, vel integram in unum aliquem transferat, pro eo ac plurium regimen vel unius elegerit, ex quo civilium per gentes ac populos adminiſtrationum diſcrimina orta ſint*: & uti eo rectius conſtaret, ſe noſtræ ſententiæ non favere, *Bellarminum* Tom. I. Controv. de Laic. lib. 3. citavit, quem loco ab illo citato nobis immeritò adverſari notum eſt, & in ſecunda etiam ſectione oſtendetur. Idem *Coto* Jeſuita Anno 1610. eodem Grammondo teſte lib. I. Hiſtor. pag. 10. confutationem libelli *Johannis Marianæ* Jeſuitæ de Regis inſtitutione, (in quo is pleraq; perperam de immediata poteſtatis Principum à DEO origine, deque ſummi Pontificis in Reges poteſtate ſcripſerat, quique pœnali judicis flammæ Pariſiis datus fuerat,) ſtylo ſatis acri vulgavit, erroneasque Marianæ aſſertiones ſocietatis nomine confutavit, quem ſi nanciſci liceret, plura forte, huic quod præ manibus eſt argumento idonea, neque injucunda, obſervari addiq; poſſent. Sed ſatis de Gallorum hoc in capite conſenſu diximus, pergendum ad alia. Ante verò quam id fiat, illud adhuc neceſſariò monendum videtur, cauſæ noſtræ neutiquam obeſſe, quod *Libertatum Gallicanæ Eccleſiæ Volumina* toties in præcedentibus citaverim, quæ tamen ſtatim ex quo prodierunt, ſanctioris Regis Conſiſtorii Decreto interdicta, & à Galliæ Epiſcopis in ſatis frequenti cœtu diris devota fuiſſe conſtat, teſte *Epiſtola Cardinalium, Archi-Epiſcoporum, & Epiſcoporum Pariſiis tunc agentium ad Cardinales, Archi-Epiſcopos &c. per Gallias, de duobus Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ Volumi-*

luminibus damnandis Pariſiis IX. Febr. Anno 1639. data , quæ pòſt inſerta quoq; fuit *Concilijs Galliæ Noviſſimis* curâ *Ludovci Odeſpun*, A. 1646. *P*ariſiis editis p. 727. & 728. Præterquã enim, quod *Petri de Marca* , *Maimburgij*, atque aliorum, tum & ipſiuſmet *Cleri Gallicani*, qui in nuperis Congregationis ſuæ actis ſæpius ea allegavit , exemplis tueri me poſſim , profanas ego vocum novitates , aut unius ſaltem atque alterius auctoris ſententias à reliquorum Gallorum doctrina atque moribus alienas, haud allegavi, ſed ipſa acta ac monumenta publica, itemque decreta ac edicta Regio vel juſſu, vel conſenſu in Galliis promulgata adduxi , & quidem, quod præcipuum eſt , in cauſa optimà, & apud Gallos nunquam non aſſerta ac propugnata ; non verò hæc, ſed illas ob Nuntii Pontificii, omnia etiam tuta timentis, querelas apud Regem delatas, Decreto publico profligatas fuiſſe , *Petrus de Marca* actorum omnium optimè gnarus, & latæ ſententiæ ſincerus interpres docuit, in libro ſuo *de Concord. Sacerd. & Imp.* lib. I. ſtatim ab initio.

Non ignoro, fuiſſe interdum apud Gallos, maximè ſub ſuperioris ſeculi finem & hujus in quo vivimus initium, qui aſſerti noſtri defenſionem non omninò tolerandam judicârunt, uti ex iis, quæ quidam Sorbonæ Doctores A. 1589. Menſe Martio, alijq; adverſus Henricum III. *pronunciârunt*, *quæque Cardinalis* Perronius *Anno 1616. in contrarium* , *verba quum Cleri nomine in Comitijs faceret, diſſeruit*, *nec non quæ occaſione Cenſuræ Stampesij Carnotenſis Epiſcopi* , *doctrinam in defendenda Regia auctoritate* , *quam Roma non admittit* , *continentis, Anno 1625. Clerum inter Gallicanum & Parlamentum Pariſienſe acta diſputatave fuere*, *abundè liquet. Verùm*, *quæ vel ab uno Doctore dubitanter propoſita*, *ut de* Perronio *ex* Grammondo *lib. I. Hiſtor. pag. 60. ſeqq. conſtat* , *vel turbulento rerum ſtatu à paucis aſſerta* , *& ab aliis eopſe ac inſequenti tempore impugnata fuere* , *uti Sorbonæ Doctorum decreto Anno 1589.* Thuano *Hiſtor lib. 49 p. 391. & lib. 95. p. 424. teſte*, *itemque Anno 1625. Gallicani Cleri actis contigit*, *apud* Grammondum *Hiſtor. Gall. lib. 15. pag. 639. Canonis regulæque vim nequaquam obtineant. Vid.* Apologie pour les Catholiques *Tom. I. chap. 8. p ag 93. & chap. 10. pag. 111. ſeqq. adde tamen* , *quæ habet D.* Jurieu *in libro*, *quem nuper edidit ſub titulo :* Hiſtoires du Papiſme & Calviniſme miſes en parallele *Tom. IV. pag. 274. ſeqq. Et ſi verum eſt, quod* M. Antonius Arnaldus, *in Parlamento Pariſienſi Advocatus in Orat. ſua pro Univerſ. Pariſ. contra Jeſuitas pag. 14. ſcripſit* , non niſi Jeſuitarum

diſcipuli ac alumni, Syndico Fabro aliisque obſtantibus, decretum adverſus Henricum III. ſanciverunt. *Quid quod & auctor libelli* Critique Generale de l'Hiſtoire du Calviniſme *p. 514. Perronij Orationem juſſu Gallicani Cleri ex eorum Actis atque Ephemeridibus ejectam atque excluſam eſſe ſcribat, cujus fidei tantum quisque tribuat quantum volet. Quomodo verò* Gerſon, Almaynus *itemque* Navarrus, *dum contrariæ ſententiæ favere videntur, intelligi explicarique debeant,* M. Antonius de Dominis *oſtendit, de Republ. Eccleſ. lib.6. c. 2. num. 22. pag 528. & 529. Quæ* Bernhardi *mens fuerit, quum duos Pontifici gladios datos ſcriberet, ſpiritualem alterum, alterum temporalem, in* Libertatibus Eccleſ. Gallic. *Tom. I. p. 460. exponitur, quibus addendus, qui hoc anno de Eccleſiarum Germaniæ Libertatibus ſcripſit,* Johannes Schilterus, *celebris apud Jenenſes Jurium Doctor & Profeſſor lib. IV. c. VII. num. VII. p. m. 602. Quod etiam quidam, ut* Juretus, Bellarminus, Perronius, *aliique putant,* Philippi I. *tempore, ob ejuſdem anathema, quo ab Urbano Pontifice notatus fuerat, intermiſſum fuiſſe à Gallis adſcribere actis,* regnante Philippo, *ejuſque loco ſcripſiſſe eos,* regnante Chriſto, *falſum eſſe minimeque cum veritate conſentire, rectè dicit* Carolus Faye, *in Libert. Eccleſ. Gall. Tom. I. p. 213. oſtenſumque eſt à* Davide Blondello *integro libello, quem is hac de re Anno 1646. Pariſiis ſcripſit, & cui titulum fecit:* De Formulæ Regnante Chriſto in veterum moumentis uſu, juſtas pro Regibus maximis Philippo I. & II. ſummaque Regum omnium poteſtate vindicias complexa Diatribe. *Ex quo mutari poſſunt, quæ* Becmannus *in Notit. Dignit. Illuſtr. Diſſ. XIII. c. 1. §. 7. p. 344. itemq; Dn. D.* Scherzerus *in Anti-Bellarm. Diſp. I. p. 16. hac de re ſcripſerunt.*

§. 21. Atque hæc opinio homines etiam à diviniore cœtu ſegregatos imbuit, eamque in rem egregiè dicta paſſim in paganorum ſcriptis reperiuntur. *M. Terentius* Eques Romanus apud *Tacitum* Annalium VI. p.m. 147. edit. Plantin. *Tiberio ſummum rerum judicium Deos dediſſe* dixit, *obſequij gloriam ſubjectis relictam eſſe.* Et Titus Imperator apud *Suetonium* in Tito lib. VIII. pag. 768. *Principatum fato dari* agnovit. Apud *Homerum* in deſcriptione Regis ponitur, Ἰλιάδ. β.

—— . — . — εἷς κοίρανος ἔςω
εἷς βασιλεὺς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
Σκῆπτρον ——

* *Unus Princeps unus Rex eſto, cui ſceptrum dedit ſagacis Saturni filius* i. e. Jupiter,

* *Quem Homeri locum eo nomine laudat ac explicat* Dio Chryſoſtomus *Orat. de Regno prima pag. 5. edit. Venet.*

Idem

Idem *Homerus*, ceu doctis obſervatum, perpetuo ferme epitheto θείυς βαϲιλῆας, *divinos Reges*, & διοτρεφῆας, *à Jove educatos* appellat. Notum eſt & illud celebre Aſcræi Poëtæ *Heſiodi* dictum, in Theogonia verſ. 96. ἐκ δὲ Διὸς βαϲιλῆες, *à Jove Reges*. Id quod & *Callimachus* Cyrenæus, hymno in Jovem (quem non ita pridem nobiliſſima Virgo *le Fevre* cum aliis Callimachi reliquiis edidit, valdè ob id laudata in *Journal des Sçavans A. 1675.* p. 74.) v. 79. imitatus eſt.

Ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες, ἐπεὶ Διὸς ὐδὲν ἀνάκτων
Θειότερον· τῷ καὶ σφιτερὴν ἐκρίναο τάξιν.
Ex Jove ſunt Reges, quia nil divinius uſquam eſt
Regibus, & commune datum eſt his cum Jove regnum.

In opere ſuo incomparabili de providentia *Syneſius* lib. I. ponit, apud Ægyptios *Reges à Diis conſtitui*; quemadmodum etiam teſte *Porphyrio* nec non *Euſebio*, de præparat. Evang. lib. 9. c. 1. fol. 238. apud Eſſenos doctrina hæc obtinuit, quod ſine DEI numine, nemini imperium habere contigat, ὐ δίχα θεῦ περιγίνεσθαί τινι τὸ ἄρχειν. Agnovit idem Perdiccas apud *Curtium* lib. X. de Alexandri M. morte verba faciens: *Magnitudinem rerum quas egit Alexander intuentibus credere licet, tantum Virum Deos accommodâſſe rebus humanis, quarum ſorte completa citò repeterent eum ſuæ ſtirpi.* Quæ omnia, ut de Diis falſis falsò, ita de vero atque uno DEO veriſſimè dicuntur. Plura Philoſophorum & Poëtarum, atque Græcorum Latinorumque auctorum hanc in rem dicta allegari poſſent, ſi teſtibus res illa egeret, quæ tot ſcripturæ ſanctorumque Patrum dictis atque rationibus confirmata jam eſt. Conferri interim poteſt *Claudius Salmaſius* in Defenſ. Regia. cap. 2. pag. 53. & cap. 5. p. 146. ejusque Civis *Samuel Bochartus*, in Epiſtola ad D. Morley, quæ habetur in fine ejus Geograph. S. edit. Francofurtanæ, (in ea enim quæ Cadomi A. 1651. procurata eſt, fruſtra eam quæſiveris.) p. 74. Pertinet huc etiam, quando ſcriptores non Chriſtiani locutionibus atque appellationibus divinis Regiam majeſtatem proſecuti leguntur, quod Principes *Dii inter homines ſint*, quod DEI *imaginem gerant*, *ejus in terra vicem agant*, quod peculiari quodam modo DEO *curæ ſint*, quod *divinum quid atque ſanctum & non violabile iis inſit &c.* qualia ut cumulemus opus non eſt, obvia quippe paſ-

ſim atque aliis notata. Vide omninò quæ magnus noſter *Bœclerus* in libro, quem de *Auſpicio Regio*, inſcripſit, annoq; 1645. hîc imprimi curavit, paſſim de hoc argumento annotavit, quæque eo non minor *Gerhardus Johannes Voſſius* habet, de Idololatria Gentil. lib. 3. cap. 17. pag. 806. ubi plura veterum loca, ut Vir erat magnæ lectionis, congeſſit, quæ inde peti malo quam hoc loco exſcribere.

§. 22. Hujus dignitatis ſuæ prærogativam & ipſi Imperatores Regesque olim non ignoraverunt, hincque leges ſuas *divinas*, *ſacras*, *ſacratiſſimas*, *divalia oracula* vocaverunt, & has violare non tam inobedientiam, quam *ſacrilegium*; & majeſtatis crimen ἀσέβειαν; quin & ipſos *ſacratiſſimos*, Σεβαςὰς, θεοςεφεῖς, χριςὰς Κυρίȣ, & imperium ſuum ſanctum, & θεοφρȣ́ρητον dixerunt. Qui * loquendi modi ſub Chriſtianis Imperatoribus, etſi gentilem adorandi Reges cultum non admitterent, ſervati ſunt, nempe ne eorum vileſceret auctoritas, qui ob communicatam quodammodo poteſtatem divinam, DEI vicem obtinerent inter homines. Vide hîc *Marquardi Freheri* Orationem de Conſtit. Imperialium excellentia p. m. 53. Quò etiam reſpici credo, quando *Sacra Majeſtatis* titulus regibus atque Principibus poteſtatem immediatè ſuam à DEO accipientibus tribuitur, quando item Romanum Imperium cum adjectione *ſacrum* communiter appellatur. Vide de illo *Johannis Limnæi* Notit. Regni Franciæ lib. 2. cap. 6. p. 432. ſeqq. de hoc *Bœcleri* noſtri Diſſertationem de Sac. Rom. Imperio, quæ Notitiæ ejus Imperii adjecta eſt, pag. 402. ſeqq. cujus conjectura, quod Romanum Imperium ideo ante duodecimum ſeculum *ſacrum* vocatum non reperiatur, *quia artibus primùm Gregorii VII.* (ut §. XIV. indicatum quoque eſt,) *ſacra ejus majeſtas in dubium vocata*, *ſolemnitate elogij hujus vindicanda fuerit*, præ illa jure arridet, qua fieri id quidam putant, *ob ſanctitatem Pontificis Romani*, *quem verticem & caput Imperij jactare non verentur*. Vid. *Limnæum* Jur. Publ. Tom. I. lib. 1. c. 7. num. 6. & adde *Fritſchij* additiones loc. cit. Cumprimis autem huc facere videtur, quod Imperatores, Reges, itemque Principes noſtri, *divinæ gratiæ* characterem nominibus ſuis præfigunt, ſeque Reges atque Principes *DEI gratiâ* appellant, more quidem atque exemplo Græcorum Imperatorum, qui

* *Contra ſeveriorem Caſſandri de iis cenſuram D.* Dannhauerum *confer*, *in Theol. Conſcient. Tom. I. part. 2. pag.* 894.

ſe

ſe βασιλέας ἐν χριςῷ, *Reges in Chriſto* vocârunt, itemque ſolemne illud: ἡ ἐκ Θεοῦ βασιλεία ἡμῶν, *Majeſtas noſtra divinitus ſive à DEO inſtituta*, exordiendis edictis & epiſtolis uſurpârunt, ut ex Græco-Romano jure lib. II. *Novella Baſilij de Struendis Eccleſiis*, & alibi paſſim videre eſt. Hinc enim eſſe, quod *DEI gratiâ* Reges dici ſoleant, nobiſcum tertii Ordinis Delegati in Defenſione ſua adverſus Perronium Cardinalem fatentur, apud *Grammond.* Hiſtor. Gall. lib. 1. p. 68. & *Loyſeau* des Seigneuries chap. 3. n. 66. illis ſolùm τὸ *DEI Gratiâ* convenire ſcribit, *qui ne tiennent leur eſtat, que de DIEU & de l'epée, qui imperium ſuum non niſi à DEO habent atque gladio.* Vide etiam D. *Dorſcheum* in Prodrom. Anticris. pag. 44. Speciatim id *Gregorius Tholoſanus*, lib. 47. Syntagm. c. 14. num. 15. de Galliæ Regibus verum facit, ſic ſcribens: *In noſtra Gallia Rex noſter* αὐτοκράτωρ *eſt; & Monarcha abſolutè, plenè & ſui arbitrij &c. quod teſtatur titulus, quo ſe exornat* DEI *gratiâ Francorum Rex, à nemine alio, quam à DEO poteſtatem ſe accipere oſtendens.* Confer quoque, qui ex Caſſanæo idem docet *Ludov. Rodolfinum*, de Origine Ducum Italiæ num. 86. p. 24. Unde olim apud Gallos pariter atque Germanos, quivis Duces atq; Comites prædicato hoc uſi fuerunt, uti præter alios citatus ſupra *Loyſeau* des Seigneuries dicto capite ac numero oſtendit, quamvis id hodie in Gallia res criminis ſit, vid. *Limnæi* Notit. Regni Franc. lib. 2. cap. 6. pag. 431. Apud Germanos autem inde ab Ottonum tempore, quo Ducatus atque Comitatus hæreditarii facti, adhucdum obtinet. Vid. *Nicolaus Mylerus ab Ehrenbach*, de Principibus & Statibus Imperii part. 1. c. 30. p. 295. Non DEI certè, ſed populi aut Pontificis gratiâ Reges atque Principes ſcribere neceſſe haberent, ſi quidem coronam poteſtatemque ſuam non DEI unius beneficio acceptam ferrent. *Cette qualité*, dicitur rectiſſimè in Arreſto Parlamenti, adverſus erroneas Jacobi theſes Tom. I. Libertat. Eccleſ. Gall. p. 452. *qu'ils prennent de regnans par la grace de DIEU, ſeroit ſans doute fauſſe, comme ſi les joüeurs de tragedies ëcoutent leurs protocolles, ils eſtoient neceſſitez d'ouyr autruy, pour entendre les bornes & meſures de leur puiſſance.* Symboli loco *Carolus M.* Pauli Apoſtoli dicto 1. Corinth. XV, verſ. 10. χάριτι Θεοῦ εἰμι ὅ εἰμι, *gratiâ DEI ſum, quod*

ſum,

ſum, uſus eſt apud *Limnæum* Notit. Regni Franc. lib. 2. cap. 18. p. 854. uti & Luſitaniæ regulos eo in epiſtolarum ſuarum principio uſos fuiſſe, ex vetuſta aliqua monetæ inſcriptione apud *Grammondum* obſervatur Hiſtor. Gall. lib. 1. pag. 68. Et mirum eſt, quod Epiſcopi, Cardinales, aliique Romanæ Eccleſiæ Prælati, cum & à DEO ſe ſuam dignitatem habere glorientur, epiſtolarum tamen ſuarum inſcriptiones aliter, quàm Paulus citato loco exornent, ſeque cum adjectu *DEI & Apoſtolicæ Sedis gratiâ*, eos quos ſequentia continent, eſſe ſcribant: Contra atque priſci omnes Epiſcopi fecerunt, qui ſine addito, ſolius DEI gratia ſe tales dixerunt, ut ex *Ivonis Carnotenſis*, *Petri Bleſenſis*, aliorumque epiſtolis liquet. Ut falſum adeo ſit, quod *Andreas Vallius*, de ſuprema poteſtate Papæ part. 3. quæſt. 6. aſſerit, formulam hanc, qua Epiſcopi hodie utuntur in ſuis literis ſcribendis *N. DEI & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ gratiâ Epiſcopus*, antiquiſſimam eſſe. Vide, qui eum hac in re caſtigavit *Edmundum Richerium*, Doctorem atque ſocium Sorbonicum in Hiſtor. Concil. General. lib I. cap. X. pag. 292. Obſervat tamen *Limnæus* in Notit. Regni Franc. lib. 2. cap. 6. pag 429. *Carolum* Epiſcopum Andegavenſem hoc etiam ſeculo DEI *gratiâ* Epiſcopum ſe ſcripſiſſe: Proſtant quoque exempla adhuc recentiora, quæ vero recenſere nunc non vacat. Illud ſaltem adhuc addo, Archi-Epiſcopos Angliæ hodienum *DEI* ſe *gratiâ* tales ſcribere, & à Regibus etiam Angliæ in epiſtolis adjectionem illam accipere, ſicuti *Jacobus* Cantuarienſi Præſuli ſcripſit: *Jacobus* DEI gratia, &c. *Reverendiſſimo in Chriſto Patri, prædilectoque & fideli Conſiliario noſtro, Georgio* eadem gratia *Archi-Epiſcopo Cantuarienſi*: Plura de hac appellatione *Becmannus* collegit in Notit. Dignit. Illuſtr. Diſſert. 1. cap. 3. §. 7. pag. 27. Taceo Juris Publici Doctores, qui hæc ex inſtituto proſecuti ſunt. Digna omninò ſunt Excellentiſſimi *Bœcleri* verba, quibus de Auſpicio Regio cap. 3. §. 5. pag. 43. paragraphum hanc egregiè illuſtrat, ut eandem finiant: *Imperator DEI Gratia eſt, qui DEO gaudet auctore, DEO gloriatur Imperatore, DEO viget cuſtode. Imperator ex DEI gratia, in DEI gratia, ſub DEI gratia, cum DEI gratia. Hæc gratia DEUM Imperatori, Imperatorem DEO conciliat, conjungit. Gratia plena auſpicio divino & Regio; gratia*

divini-

divinitatis imagine & charactere fœcunda; gratia qua Imperatorem DEI vicarium, & ſi hic quoque modeſtiæ ſplendorem miſcere licet, qua DEUM facit; ſed DEUM, qui ſe hominem eſſe, inter homines vivere, DEO ſervire non neſciat, non taceat.

§. 23. Poſſem latè adhuc evagari, & ex Regum Imperatorumq; hanc in rem publicatis decretis atq; conſtitutionibus plura adferre, tum & ex Hiſtoriis prolixius oſtendere, quam nunquã Reges inter atq; Imperatores defuerint, qui Henricorum, Fridericorum, Ludovicorum, Ottonumq; exemplo, auſibus ſeſe Majeſtatis Regiæ hoſtiũ oppoſuerint, poteſtatisq; ſuæ originem non niſi cœlis ſe debere profeſſi fuerint: ſed ſumma rerum capita conſectato nautas quodammodo imitari nunc liceat, qui multa littora prætervehuntur, ut eò citius in portum appellant; maximè, quum de eo abundè alii egerint, potiusque Hiſtorici ſit rem eam explicare, quam quidem ejus, qui divina tractat. Confer interim *Melchioris Goldaſti* Monarchiam Imperii, ubi prolixiſſime, & *Ludovici Maimburgii* Hiſtoire de la Decadence de l'Empire, itemque *Johannis Schilteri* de libertate Eccleſiarum Germaniæ ſeptem libros, ubi in compendio, accuratè tamen, rem hanc pertractatam invenies. Temperare tamen mihi non poſſum, quin duo illuſtria dicta *Friderici I. Imp.* cognomine *Barbaroſſæ* & *Emerici Hungariæ Regis*, quibus & Papæ & populo jus omne in Principes adimitur, huc apponam: Illius quidem, quod apud *Radevicum* Friſingenſis Eccleſiæ Canonicum, vitæque & geſtorum ejus αὐτόπτην ſcriptorem lib. 1. c. 10. pag. 483. reperitur, verba hæc ſunt: *Cumque per electionem Principum à ſolo DEO regnum & imperium noſtrum ſit &c. cumque Petrus Apoſtolus hac doctrina mundum informaverit:* DEUM *timete, Regem honorificate, quicunque nos imperialem coronam à Dn. Papa pro beneficio ſuſcepiſſe dixerit, inſtitutioni & doctrinæ Petri contrarius eſt, & mendacij reus erit.* Hujus verò ad impium Fratrem ſuum Andream, militemque qui in ejus acie erat rebellem, verba hæc nobis aſſervavit diligentiſſimus Rerum Hungaricarum ſcriptor *Ant. Bonfinius*, Decad. II. lib. 7. p. 276. *Quando omnis poteſtas à* DEO *eſt, quis eſt, qui Regiam Majeſtatem vi aliqua fœdare audeat? Non* Emericus *ſum, non privatus homo, ſed divi Stephani Vicarius, pronepos & hæres publicam perſonam gerens; quia non tam veſtra ſuffragia & hæreditaria jura, quam Divi &*

ſacra hujuſce Coronæ numen me Ungariæ Regem præſtitere. Non cum mortali vobis res eſt, miſeri; ſed cum eo, cui præ divina dignitate ſupra mortalitatem aliquid accedit. De Friderico I. aliâs præter *Radevicũ*, etiam Nuſſienſis Monachus, in *Magno Chronico Belgico* p. 180. editore Piſtorio eadem refert, itemque *Guntherus Poëta*, qui ejus temporibus & vixit, & *Ligurinum* ſuum carmen (ab urbe Ligurina, ſive quam Guntherum eâ intelligere eruditi obſervant, *Mediolano* ſic dictum) ſcripſit, in eodemque his Friderici ſententiam verbis lib. VI. v. 360. ſeqq. pag. 369. edit. Reuber. expreſſit.

Ergo quid ad ſummum de regni jure quid oro
Pontificem ſpectat? nullum caput iſta ſuper ſe
Aſpicit, excepto cœlorum rege, poteſtas.
Eccleſiam regat ille ſuam divinaque jura
Temperet, imperium nobis faſceſque relinquat.

Adde Nobiliſſimi Virorum paris *Spigelij* atque *Rittershuſii* notas ſcholiaque in celebrem hunc Guntheri locum. Plures quoque auctores ex Hiſpanis, Italis, atque noſtris Germanis, quibus Imperatorum Principumque cauſam agere, Pontificibusque divinæ imaginis ac poteſtatis, quæ à DEO eſt, quaque Reges regnant, odium & perſecutionem impingere propoſitum fuit, miſſos facio: Citavit multos D. *Gerhardus* noſter in Confeſſ. Cathol. lib. II. Artic. III. cap. IX. pag. 667. ſeqq. habet & non paucos *M. Antonius de Dominis* de Republ. Eccl. lib. 6. cap. 10. p.m. 812, 813. Præ omnibus ex veteribus celebris eſt Apologia pro Ludovico Bavaro Imperatore à *Marſilio de Padua*, ſive Patavino A. 1324. ſcripta ſub titulo *Defenſoris Pacis*: Edita ea primùm fuit Baſileæ Anno 1522, ejusque mentionem diu jam, antequam typis committeretur, fecit *Jacobus à* Königshoffen/ ſive latino idiomate *Regiovillanus*, (qui ſeculo XIV. in hac urbe ſacerdos fuit,) in Chronico MSS, quod in Academiæ noſtræ Bibliotheca videre mihi licuit, in quo p. 109. b. ita ſcripſit: In diſen Ziten wart das Buch gemacht/ das do heißet *Defenſor Pacis*, da bewiſet mit der heiligen Geſchrifft/ das ein Bobeſt under deme Keiſer ſoll ſin/unde bewiſet auch des Bobeſtes/ und der Cardinalen guit und hochvart und ſimonie. In margine vetuſta admodum manu adſcriptum erat: dieſe ſend auch Luiteriſch geweſen. Notiora porro ſunt, quæ in Anglia pro *Henrico IIX*, *Eliſabetha*, *Jacobo VI.* in Hiſpania pro

Phi-

Philippo III, in Italia pro *Republica Veneta*, ab auctoribus Romanam fidem tenaciſſimè in cœteris amplectentibus ſcripta editaque fuere, quàm ut ea hîc commemorem. Quin, quod mireris, hodiernus Pontifex *Innocentius XI.* in epiſtola ſua ad Regem Galliarum *Ludovicum XIV.* d. XII. Martii data, nobis hac in re acceſſit, dum eum hiſce verbis: *ne cœleſtis beneficentiæ fontem ſecus nunc* (atque ſcilicet Papa in cauſa Regalium vult) *agendo, & DEI, PER QUEM REGNAS, Eccleſiam tam graviter lædendo, obſtruas*, intempeſtivè ſatis atque dictatorie, (*d'une maniere ſi forte & ſi touchante*, ut auctor du *Traité General de la Regale*, part. IV. c. 16. p. 181. ambiguè ſcribit, malèque ſentit,) admonuit. Id quod repetiit in epiſtola ad eundem Regem D. XXI. Septembr. 1678. exarata, quando inter cætera ſcripſit: *Minimè dubitamus, quin Majeſtas Tua illicò declaret, nihil ſibi majori curæ eſſe, quàm reddi DEO, quæ DEI ſunt, A QUO tantas opes, tam ſplendidum amplumque regnum, & omni regno potiora, tot præclara animi corporisque bona accepiſti.* Edita utraque Epiſtola eſt cum aliis ejusdem Pontificis ad Regem Galliæque Epiſcopos ſcriptis, Anno 1681. Lutetiæ Pariſiorum cum privilegio Regis, habeturque in fine tractatus inſcripti: *Procez verbal de l'Aſſemblée Extraordinaire &c.* Quod Papæ teſtimonium eò illuſtrius eſt, eoque magis attendendum, quod ab eo ipſo profectum fuerit, de cujus re hîc agitur, quoque minus de homine candido, nedum de Papa, ambiguis eum atque in eventu falſis locutionibus in tanto negocio uſurum fuiſſe, præſumi debet.

§. 24. Deberem nunc forte etiam ex noſtrorum, quos Lutheranos vocant, Theologorū ſcriptis teſtimonia aliquot producere, itaque oſtendere, ſententiam hanc in noſtris Eccleſiis concordibus votis recipi atque doceri; ſed quum Diſputationis terminos egredi non liceat, præterea etiam multorum in ſuperioribus mentio ſubinde jam facta fuerit, *Confeſſionem* ſolummodo noſtram *Auguſtanam* nunc producam, à qua Doctori Lutherano recedere religio erit: Ita verò Artic. XVI. *de rebus Civilibus* illa docet: *quod legitimæ Ordinationes Civiles ſint bona opera DEI*, ſeu ut Germanicum exemplar, quod Imperatori Carolo V. exhibitum publiceque coram eo prælectum fuit, ſignificantius expreſſit: *quod Magiſtratus ſecularis, ejuſque regimen ſit à DEO crea-*

tum & ordinatum. Von Policey und weltlichem Regiment wird gelehret/ daß alle Obrigkeit in der Welt/und geordnete Regiment und Gesätz / gute Ordnung von GOTT geschaffen und eingeſetzet ſind / & quidem, ut in *Apolog. Aug. Confeſſ.* ad Artic. IIX. p. m. 156. id explicatur: *Ut hæc rerum natura & hi ſiderum certi motus verè ſunt ordinatio DEI, & conſervantur à DEO: Ita legitimæ Politiæ verè ſunt ordinatio DEI, & retinentur ac defenduntur à DEO adverſus Diabolum.* Cui Auguſtanæ Confeſſionis definitioni qui adverſetur ex noſtris Doctoribus, deprehendi neminem, vixque ab alio deprehenſum quem iri certus ſum; adeo ſanctè ſtudioſeque venerandam Principum auctoritatem colunt illi atque proſequuntur. Vide hîc elegantia verba Dn.D. *Wandalini* Haunienſis quondam Theologi in libro ejus de jure Regio lib I. c. 7. p. 61. De Doctore quidem *Samuele Pomario* Lubecenſium excellenti Antiſtite pie nuper beateque defuncto, neſcio quæ fabella poſt mortem ejus publicis relationibus inſerta fuit, quaſi is doctrina atque informatione ſua ſcholaſtica, aquam veneno Monarcho-Maſtigum infectam propinare olim juventuti conſueverit, quam tamen Inclytus Lubecenſis Magiſtratus in programmate ejus funebri, per Clariſſimum Gymnaſi ſui Rectorem Dn. *Abrahamum Hinckelmannum*, egregie refelli curavit. Quod ſi etiam eſſent, uti quidem non eſſe conſtat, qui vel verbis vel factis in contrariā ſententiam apud noſtros irent, nihil tamen inde damni reliqui conſequerentur, valeretque hîc illa *Tertulliani* reſponſio in Apologet. cap. XLVI. fol. 77. qua, poſtquam ſibimet ipſi objecerat: *Sed dicet etiam de noſtris excedere quoſdam à regula diſciplinæ? Deſinunt*, reſpondet, *tum Chriſtiani haberi penes nos.* Tantum verò abeſt, noſtrates vel voce, vel ſcriptis, aut etiam factis imperantium ſummitati adverſari, ut potius adverſarii modum hac in parte eos excedere judicent, uti Cardinalis *Bellarminus* præfat. in lib. de Clericis dubitat: *Utri plus Principibus, Anabaptiſtæ noceant, vexando & detrahendo, an cumulando & blandiendo Lutherani?* & libro de Laicis tertio cap. 17. idem ſcribit, *Brentium atque Melanchthonem hoc in capite non tam deficiendo, quam excedendo peccâſſe.* Et *Stapletonus* Lutheranos ideo criminatur, in Promptuario Domin. XXII. poſt Pent. *quod Cæſari, id eſt Regibus & Magiſtratibus non ſolùm ea, quæ eorum ſunt, ſed etiam ea, quæ DEI ſunt reddi velint.*

§. 25.

§. 25. Hæc fere ſunt, L. B. quæ primum tractationis meæ caput conficiunt. Pluribus forte, quàm par eſt, executus ſum illam partem, neque diffiteor; ſed in eo argumento diutius inhærendum erat, ut veræ ſententiæ fundamenta rite oſtenderentur, comprobareturque aliis, ſinceram apud nos de Magiſtratus auctoritate ſententiam obtinere: eodem inſtituto; quo in *Apolog. Auguſt. Confeſſ.* de ordine Politico p. m. 217. dicitur: *Hæc ideo recitavimus, ut etiam exteri intelligant, hoc doctrinæ genere, quod nos ſequimur, non labefactari, ſed multò magis muniri auctoritatem Magiſtratuum & dignitatem omnium ordinationum Civilium.* Quod calamo paululum indulgerem, effecit, ut Diſſertatio hæc ſub manibus creſceret, intraque eum modum, quem inſtituti conſuetudo & ſumtuum ratio præſcripſerant, difficulter contineri poſſet, ideoque ſecundam atque tertiam ſectionem addere nunc integrum haud fuit, adjecturus forte utramque, DEO Patroniſque viſum ſi ita fuerit, tempore alio magisque commodo. Quod tot auctores citârim, eoque pagellarum augmentum non parum promoverim, vitio forte à nonnullis mihi vertetur; Verùm ab illis tantùm, qui inſtituti mei rationem vel non callent, vel non ſatis diligenter examinant. Extremò grates immortali DEO, pro auxilio clementer præſtito, quam demiſsè poſſum, ago habeoque, & de cordato Lectore mihi polliceor, eum, ſicubi votis ejus haud ſatisfecero, non tam vires, quam voluntatem æſtimaturum eſſe, quia & in magnis voluiſſe ſat eſt: quando præterea ea noſtra conditio eſt, ut nunquam non labamur. Sufficiant quæ dixi, & ex his concludant pii: *Eccleſiæ noſtræ Evangelicæ, quam Lutheranam vocant, doctrinam de Magiſtratus Civilis auctoritate, & verbo DEI niti, & cum CHRISTI Servatoris noſtri, ſanctorumque ejus Diſcipulorum præceptis atque exemplis exactè congruere, neque vel contemni à pio pectore, vel etiam atro carbone debere notari, eſſeque omninò talem, quæ Regium thronum præ omnibus aliis fulciat ac firmet,*

DEOque quæ DEI, & Cæſari quæ Cæſaris ſunt, præclarè reddat.

Pag. 2. pro terga lege erga. P. 18. poſt *Tacitus* adde Hiſtor. IV, 74. Pag. 43. pro ſtabilitatum l. ſtabilitum. P. 44. pro 1661. lege 1665.

Viro Clariſſimo

DN. MARTINO DIFENBACHIO,

DN. Convictori olim, atque Amico dilecto,

ſolemniter

in Theologia Argentorati diſputanti.

DIſputat egregiè *Diffenbach*, præſide *Magno* BEBELIO, effundens *velut amnis* acumine ſeſe
Judicii valde *profundi*. Plaudit *Apollo*,
Grator ego pariter: fructus, *precor*, inde redundet,
Et *Matri*, & *Patriæ* gratus cum ſplendido honore!

F. Wittenbergæ

ABRAHAM CALOVIUS D. Senior.

Præcellenti Dn. Reſpondenti,

Amico.

QUid Te commendet mea languida carmine vena?
Non elegos habeo, qui Tibi digna canant.
Quin quoque non opus hîc eſt: diſſertatio cùm TE
Ipſa hæc commendet ſatque ſuperque Tua.
Sed quanquam verbis TE commendare decoris
Nunc non ſuſcipio; nec potis eſſe queo:
Prolixum tamen affectum promitto merenti;
Quo commendatus Tu mihi ſemper eris.
Votaque, quæ ſummus rerum arbiter impleat, addo:
Ille Tuis ſtudijs ut benedicat, Amen.

Gratulab. f.

SEBASTIANUS SCHMIDT D.

FINIS.